le plus sacré la porte du
parcourant suivi de sa fa
de Rome montrant à ses
re fumant du sang. Ce spe
s'assamble de toute part
son comble. Tarquin
fuite pr: se soustraire à
ts, proscrits à l'instant et la
mais. On créa deux consuls
exercer au nom du sénat
torité. Brutus et Publius V
plus contribue à l'expulsio
deux premiers consuls. Cepen
Tarquin ne perdirent point

Conceptus Evangelici

a

R. P. Simone Karpinski S. J.

Nissae

1712.

...reimu Jettingen

...rzter

...mitanslerium

Bütanach

Du

L

etia
Ag
virt
& c
ni p
cur
ſigı
cle
cæ
ver
bat
tur
tan
aut
ſun
cor
nu
per
& ſ

Dominica I. Quadragesimæ.

Ductus est JESUS à Spiritu in desertum. Matth. 4. v. 1.

DIfficile est reperire hominem cui ductor Spiritus perseveranter assistat; & non excitet tantùm ad iter, sed etiam ad destinatum terminum perducat. Aguntur plerique bono Spiritu ad ingentia virtutum merita, ad sacra religiosæ vitæ, & disciplinæ contubernia, promovendi boni publici non impares heroum laboribus curas, & ad quodvis posteritatis gloriâ insignitum facinus; sed vix intra limites Ecclesiæ, aut solitudinis sacræ, aut reipublicæ calamitates delati, deserente se, qui præiverat, suo duce, & evanescente, qui impellebat spiritu, labyrinthum sibi ingressi videntur, vel, ut clariùs loquar: Paucissimi extant, qui eodem Spiritu negotium salutis, aut boni publici consumment, quo aggressi sunt. Etiam apud illos, quos spirituales communis usus denominat, non diuturnum Spiritus invenit contubernium: Vix per prima initiamenta detentus, migrat; & spiritualem spiritu vacuum relinquens,

in cauſa eſt, ut quandoque Neomyſta non ille agnoſcatur, quem Spiritus duxerat, ſacraverat, incenderat, ſed ille, qui antequam bono Spiritu tangeretur, viâ latiſſimâ ad interitum ferebatur. Hac itur non ad eremum, ſed ad infernum, & tartara.

Ductus eſt JESUS à Spiritu in deſertum.

IN totum jejunij, & ſolitudinis tempus, Chriſto comes Spiritus fuit; cum hoc eremum ingreſſus, egredientem pariter non deſeruit, ſed quadraginta dies, & noctes cum eo perſtitit. Nobis per momenta ferè, varij, ſibilo variante allabuntur, & mutantur Spiritus: modò hic, modò alius nobis arridet, perſæpe nullus placet. Cur non eodem ſemper movemur ſpiramine in eluendis criminibus, vitæ, morúmque caſtigatione? Viam quæ in eremum ducebat, noverat optimè Chriſtus: imò ipſemet non ad SanctaSanctorum tantùm, ſed etiam ad eremum, & ad omnes illius aditus, Via erat; duci ſe tamen à Spiritu, non diſſimili ratione permiſit; quâ aliàs manu prehenſum parvulum, ad coronam Apoſtolorum duxit.

duxit. At vos, qui commessationibus quadragesimam protrahere, & dehonestare consuevistis, qui gulæ, & sensui horretis esse molesti, consultum vobis abundè putatis, si vobis ipsi duces, & consules in edomando carnium esu, fueritis. Humana eo non ascendit sapientia, ut sibi vel decenter, vel prudenter, stabili possit fiducia inniti.

Ductus est JESUS à Spiritu in desertum.

SOlitudine eremi delectatur Christus, mavúltque ibi spectare assilientes hinnulos, quàm Hierosolymis lascivientium caprarum, & legum septa persultantium greges. Multis voluptas est, si corruptelis, aut vanissima nugarum specie pascantur oculi: soli esse non sustinent: ad fabulas, ad ludos, & ludibria fugiunt, dúmque per vanitatis officia, otiosissimæ blandiuntur menti: Christiano nomini turpiter illudunt. Brevissimo saltem tempore, quotidie te recipias à negotiorum strepitu: qui tibi respirium intercludit: nec sinit te cælestem auram quieto corde trahere. Conscientia multis, vastum desertum, & feris ani-

animantibus refertum eſſet ; ſi abdita illius ingredi, & ſe tandem poſt diuturnum cordis ſui, à ſe, exilium, frui vellent : quam vaſtam ibi eremum frequentes pervagantur beſtiæ, inter quas opere pretium eſt, ut noverimus illam, quæ animalis homo dicitur. In hoc monſtro ille ſe inveniet, qui ſaginando intentus corpori, à via boni Spiritus procul receſſit.

Ductus eſt JESUS à Spiritu in deſertum.

NOn deſunt Eremicolæ, quos ex civitate in deſertum vix pertrahere Spiritus Sanctus valet: Ex eremo autem, ipſi ultro ad frequentiam hominum currunt: Teſtantur id, reluctantes, & inviti paſſus, maximè, ſi ante noctem ſolitudo ſit, & cellula repetenda. Arduum equidem eſt aulicis eremum perſvadere : ad hanc eos tractabilitatem, ut familiaritati renuntient, inducere ; ſed multò laborioſius apud Incolas eremi evincere, ut ab aula ad ſuas, quarum ſunt obliti, remeare citò velint ſedes. Facilè eſt illis ſe ipſos ducere ad comædias, ad ludos, & ſpectacula, non item ad eremum

redu-

reducere. Quanquam alij etiam eò se duci, & reduci à Spiritu famulante sinunt, si obsequium suum, quod præstat, & tempus redeundi, & viam quâ redeundum sit ad claustrum, in illorum arbitrio relinquat; tum demum benignissimè cum illis agit Spiritus, cum in eorum moras, moresque, tunc etiam, dum altare accedunt, consentit; immunitates illis, consvetudines, vestium normas, faceta colloquia, donat liberaliter, & insuper socios eorum foveat lepidè, patronos condignè revereatur.

Ductus est JESUS à Spiritu in desertum.

SI JESUS sinit se duci à Spiritu in desertum, cur id Spiritui, obsequium offerenti negabit Macarius? Exemplô Christi adeuntis eremum ducente Spiritu, tantò majus humana fragilitas requirit subsidium, quantò magìs ad virtutem enititur. Individuum itaque faciat sibi comitem Spiritum, cum quo boni aliquid inchoavit; & cujus ductui primum se permisit. Quicunque autem Spiritu per vestigia Christi duci cœpit, vel se illi, suáque obsequia, in

tempus omne, acerrimo studio dicavit, id unum exquirat: quid saluti animæ, in tuto collocandæ, audere, & efficere est necesse; quô perspectô, non cunctanter, sed alacriter viâ boni Spiritus progrediatur; si enim intra sacra septa detinere Spiritum nescîerit, aut noluerit, à recto tramite, certò certiùs, turpissimè aberrabit.

Pro eadem Dominica.

Cum jejunàsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurîit. Matth. 4. v. 2.

CHristus dies, & noctes jejuniô conjunxit, humanam in quadragesima edacitatem, non dies, non nox interrumpit. Multis hoc sacro tempore indesinenter culina fumat, & ingestis continuò cibis, stomachus aviditatem inter, & fastidium luctatur. Hora nulla est, quæ vel edentes, vel potantes non videat, nihilominus ritè sibi jejunare videntur. Christus exactis primùm jejuniô diebus quadraginta, famem admisit. Humana jejunia, sive inchoata, sive finita, nunquam esuriunt, non enim

cœnæ, non prandij apparatione finiuntur mundanis jejunatoribus curæ, & labores coquinæ: alia hominum, & horarum si fortè distinctio est apud illos, sed in eodem opere, manus, & ars coquorum continuò detinetur, nec unquam illis cessare in coquendo, & condiendo per ingluviem dominorum licet.

Cum jejunàsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurîit.

CHristus tum primùm cœpit famescere, cùm jejunium desîit: Parasitis, necdum jejuniô inchoatô fames adrepit: Christo jejunanti per quadraginta dies, nè cogitatio quidem de cibo subîjt: Illi, non aliud animo inter jejunandum versant, quàm cibos; cui verò persvadebunt, se obligationi jejunandi, aliquam exsolvere in abstinendo molestiam; si inter cupediarum multitudinem distringantur, & gustum lautitijs obruendo, fatigent? Esuritionem Christi manifestam mundo fecit ipsa solitudo, quam, omnium rerum, & solatiorum carentia vastissimè quaqua versus insederat: Carnariorum ingluvies, in cœnacu-

lis elegantiſſimè ſtructis, ad menſas ferculorum varietate refertas, nè veſtigio quadrageſimæ inter avium ſtrues, & bellariorum pyramides relicto, ſplendidè epulatur. Quo tandem quadrageſima illorum, & dies cinerum à bacchanali, quo inſigni dirimetur?

Cum jejunâſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurîit.

NOvum apud quoſdam quadrageſimæ inventum, cupedijs quantumvis eſurialibus palatum ad nauſeam uſque recreare, & deinde à ſtomacho faſtidiente epulas, ad oculos gulam transferre: nihilominus rigidiſſimè abſtemij ſe iſti jejunare credunt. Ludibrium non jejunium quadrageſimale dixeris id totum, quod ſplendidius edentium ventrem farcit. Etiam in eſurialibus obſonijs modus menſæ adhibendus, & ad frugalitatem revocandus eſt. Qui enim nefariè ventri indulgent, illi luxu, & delicijs marcidi, vitam omnem in unum voluptatis ſtudium confundunt: nullo diſcrimine relicto, etiam illis ferijs, quæ ſeveritatis Chriſtianæ ſpeciem, & veritatem retinere debent. Hoc autem inde provenit, quia

non Domino, sed abdomini servientes, sacra dierum jejunia voracitate, noctium thoros, desidiâ, torpore, & lasciviâ, innoxiè ùt illi putant delicati, fœdare in quadragesima non erubescunt: sed agent aliquando immodesti jejunij quadragesimalis duram pœnitentiam.

Cum jejunâsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

QUodnam jejunium sit homini molestius, illúdne quod diem, an quod noctem occupat? Discernere illi non potuerunt, qui comedunt ad saginam, bibunt ad crapulam, dormiunt ad delicias. Jejunium diurnum, abstinentia à cibis constituit, nocturnum, subducta, & arctata somno spatia efficiunt, abdicatæque commoditates, quæ somno junguntur. Utrumque jejunium exegit Christus perfectissimè. Multis par epularum, par somni, & cupiditas, & satietas. Uno saltèm abstinentiæ genere honorare velint dies jejunio sacros. Nullô omnino cibô, potu, & somnô admissô, quadraginta diebus & noctibus jejunavit Christus. Nos jejunij lege non ità stringimur;

ut istis omnibus sit necesse carere: proindéque iniquissimè de jejunij onere querimur: cujus molestias omnes subîjt Christus, & nobis minimam experiendam reliquit; sed neque conformitatis nostræ est, adæquare in jejunando rigorem Christi; neque summus virtutis apex, abstinentiæ omnimodæ asperitate, perficitur. Frustra enim faciei pallor, & tenuiorum per inediam laterum gracilitas sanctitatem persuadet, nisì ad animum, Spiritûs divini unctio pervadat, & caput operum, quod cor est, imbuat.

Cum jejunâsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

JEjunia non esum proscribunt, sed moderantur. Per Ecclesiam, & Christum licet, ut te cibo potúque reficias: sed ad Bacchi leges impletum, & ultra oras undantem, & spumantem calicem alio derivata affluentia, deple: quidquid autem gulæ, & cupiditati detraxeris, mortificationi, & abstinentiæ adjice; Ad unius etiam mensuræ legem, cogi nequit omnium jejunantium obligatio: cum singulorum necessitas,

tas, non ijsdem terminis finiatur, magnámque diversitatem facit, stomachi, virium, & temperamenti in singulis diversitas: omnes tamen Ecclesiæ præceptum, proportione sua ad jejunandum obstringit, si carnibus omnino utendum est, nè valetudo lædatur: hic usus etiam quadragesimam non excludet. Si necessitati indulseris, luxui & intemperantiæ nè indulgeas, sed fortasse apud plerosque quadragesimo dierum numero, vix sua constabit integritas, seu piscibus, seu carnibus jejunium computaverint: duos enim, vel tres dies, si mergat ebrietas, totidem quadragesimo censui desunt: Ut enim concesserim, potu non violari jejunium, temperantia tamen, quæ jejunium consecrat, violatur. Incomparabiliter mitior est quadragesima nostra, quàm Christi; nobis enim & culina fumat, & ollæ fervent, & sudant coci: ut quid igitur onerosam fingimus? Petamus à DEO gratiam, ut ea alacritate, & constantiâ jejunium pro Christo feramus, quâ ille pro nobis.

Pro eadem Dominica.

Si Filius DEI es, dic, ut lapides isti panes fiant. Matth. 4. v. 3.

NOluit dignitatem, & excellentiam suam Christus dæmoni notam esse: licèt hanc varijs persvasionibus, & artibus, retegere diabolus voluit; nihílque non tentavit, ut se quod erat, Christus fateretur. Sed minimè persvasit. Nobis hìc documentum relictum: meliùs esse, ut filij DEI simus, quàm ut esse sciamur, confiteri enim vitia tutiùs est, quàm gloriam vel virtutes jactare, quibus testimonium ambiguum facit lingva propria. Cui bono fuisset, oris sui confessione stabilita Christi Divinitas, & Unigeniti prærogativa? Cui hæc veritas innotuisset in solitudine? Soli ergo obsecundatum fuisset dæmoni, ídque præcisè ideo, quòd illi hoc curiosè inquirere collibuisset. Incongruus gloriæ locus, & spectator indignus, ceras majorum, & stemmata dehonestat.

Si

Si Filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant.

CHristus inedia quadragesimali enectus, Divinitatis splendorem retegere noluit; multi è contra, etiam famelici, & sitibundi, non dissimulant, quibus, & quàm claris Parentibus sint orti. Utcunque illis inopia gravis, velut horrida solitudo circumfundatnr undique, licèt cogitatio omnis ad panem excurrat, vel lapides versare parata, si alimenta ab illis exprimat, vacat tamen & liber simul, sapida refectione avidius, insignia domûs suæ abligurire; & coram ursis, lupísque si alius desit spectator, prosapiæ suæ natales recensere. Splendore, & dignitate natalium nè te extuleris; sed cogitatione, quæ talia oggerunt, à tentatore immissas crede, & expedias. In memoriam sæpiùs revoca, quòd te desertum ambiat. Cui ergo in silvis stemmata, & majorum seriem ostentabis? non id cogita, cujus filius sis, sed illud perpende; *si Filius DEI es*, ultra desiderabilia omnia felicitatem omnem promovisti. Præstantius crede

de illustrem esse; quàm ostentare quidquid illustrem facit.

Si Filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant.

AD argumentum, quòd Christus Filius DEI esset, non sufficiebat dæmoni jejunium per quadraginta dies, sinè cibo omni; & potu exactum, sed id colligere inde voluit, si lapides in panes convertisset Christus. Id suasit Sathan Christo, quod ipse consuevit agere. Id familiare illi est; ut duris, & indomitis teneritudinem, mollibus duritiem inducat, & confusione agitet; Idem suggestione sua voluit à Christo obtinere, sed retudit intemperiem petulantem Christus; suam substantiam pani, suam lapidi relinquens. Satius est panem denariô emere, quàm lapidem sinè causa destruere. Sapit, nutrítque meliùs, quæsitus labore ex hordeo panis, quàm pastilli efficti ex marmore; ad quod & conscientia offendit, & cruentatur dilectio proximi. Nemo itaque thaumaturgus esse ad hanc formam affectet, qualem dæmon Christo suggessit, lapis sit lapis, panis sit panis; & prout

unum-

unumquodque à DEO creatum est, tale sit. Noli vivere miraculis Sathanæ, sed manuum tuarum laboribus; sic enim beatus es, & bene tibi erit.

Si Filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant.

QUi Metamorphoses, & animo, & destinatione volvunt; ima summis vertere, series & ordines rerum, temporum, & locorum spatia transponere conantur; nulla necessitate id poscente: non DEI, sed diaboli filios esse existimo. Labore meliùs, oratione certiùs obtinetur à DEO panis, quàm educitur ex lapidibus; utcunque illos verses, & volvas subdolis artibus, ut diabolica metamorphosi efficiantur panis; frustra te satiandum putas pane, qui nullo tibi labore constat, quem non miraculo quidem paras, sed novis indies nequitiarum, & fraudum exemplis, quæ te & mirandum omnibus, & mirandarum auctorem artium, & tantum non miraculosum apud spectantes fecerunt dæmonem. Opus manuum tuarum te alat, non talia miracula.

Si Filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant.

CRedidit dæmon obsequentes fuisse futuros lapides imperio Christi, si illos mandâsset panes fieri, & dixisset: Hactenus duritiem, & asperitatem lapidum habuistis ô lapides! jam vos panes esse volo; pascetis anachoretas, succurretis indigentiæ errantium viatorum, subsidium offeretis diversis multorum necessitatibus; Tu peccator miserrime, nondum fecisti credibile, ut aliquando velis panis esse. Non semel voluit cor tuum mollire DEUS, repugnâsti; nè modo quidem saxum esse desinis. Tempus tandem est, ut DEO volenti & exigenti toties, parcas, panísque fias. Humana erga homines indue præcordia, vel emollias, si dura sunt, & misericordiam adama; Quod si tibi tantùm panis, tibi non durus, non lapis, in te pascendo non malignus fueris; à lapide vix differes, & à petra scandali. Itaque si tibi viscera erga proximum in lapidem rigescere senseris, converte illa in panem: pro alendis mendicis; & si tibi cor durum molliverit

rit DEUS, caveas, nè rursus fias lapis, qui se ad nihil recti post crebras metamorphoses flecti à nullo thaumaturgo patiatur.

Pro eadem Dominica.

Statuit eum super pinnaculum templi, & dixit: si Filius DEI es, mitte te deorsum. Matth. 4. v. 5. & 6.

NOn semper à tentatore, sub hæderā ducuntur tentati. Subinde cacodæmon inter sanctuaria laqueos tendit, perindéque in sacris quàm profanis ædibus illaqueat, & in abrupta vitiorum impellit. Reprehensione vacabat omni, Christum in summo templi fastigio constitisse; Sed dæmonis ingenium est, ex optimis seu causis, seu circumstantijs, ad agenda pessima occasionē captare. Nec hominem sanctū, nec locum sacrū, à tentatione dæmonis exemptum credas. Ubique pertimescenda tentatio; sed potissimum in loco sacro, & homine sancto: quapropter quò melior & sanctior evaseris, eò tibi magìs à tentante hoste metuas; graviore etenim casu, majoréque nocumento, &

& certiore exitio â faſtigio templi, quàm à culmine aulæ ruunt tentati: quia faciliùs elidunt impactum caput, ſpargúntque cerebrum illi, quos ab alto Sanctuarij per occaſionum, & voluptatum lubricum præcipitat dæmon; quàm qui in plano corruptelis infami, ceſpitare ſolent. Ut major dæmoni livor accenditur, cumulatiore virtute tua, quam audet fœdare; ità acriore ſtudio flagres, te, & tua ſervandi, quò chariora ſunt; neque loci aut perſonæ ſanctitatem ullam inacceſſam dæmoni credas; aut impenetrabilem igneis nequiſſimi telis.

Statuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit: ſi Filius DEI es, mitte te deorſum.

TOties Chriſtus doctrinæ, vel orationis occaſione adîjt templum Jeroſolimis; atria illius, porticus, gazophylacia frequenti de ambulatione, vel commoratione pernovit; nè ſemel tamen faſtigium conſcendit; non tectum, non tholos, & peribolos luſtravit, non pinnacula perreptavit: Tum primùm conſtitiſſe in his cacuminibus Chriſtum conſtat; cùm eò illum intulit dæmon: ut palam ſit, quos Chriſtus ele-

elevat, eorum altitudines certis gradibus, & meta diſtingvit, nè ab uno templi pinnaculo, in aliud eminentius proſiliant. In eadem narratione Evangelica nuſquam exprimitur: Chriſtum eò loci poſitum, vel unum gradum promoviſſe: poſtquam eò importunitate, & malitia dæmonis illatus fuit: credibile, quod immotus conſtitit, non per abrupta illa ſpatiatus, non crepidinibus ſuſpenſus inceſſit; etſi id nullô ſuô periculô, vel nocumentô facere potuit. Plerique, etiamſi per abrupta liberrimè ſpatiantur, & cum ſe in maximè eminenti, & in præcipitium arrecto gradu viderint; ſecuros ſe credunt, & planum ibi putant, ubi ſcopulorum crepidines, baratrum immane ſub pedibus aperiunt. Nè tendas ultra, cum exaltatus fueris; ſed te ſtabili quiete defige. Nam licèt angelicis geſteris ulnis, vix in ſublimitate tutus eris, niſi tibi quietem imperaveris.

Statuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit: ſi Filius DEI es, mitte te deorſum.

MItiùs in plano, quàm in ſublimi diabolus tentat; reperire tamen eſt aliquos,

qui in altiſſima ſive Eccleſiæ, ſive Aulæ faſtigia elati, adhuc planum putant. Sunt rurſus alij, qui ubique locorum ideò eminere volunt; ídque unicum ſomniant: ut ſub pedibus ſuis cæteros videant, proterántque. Itur in altum per gradus: ſed uno paſſu, & impetu, fit ruina deorſum, ridiculum illis, quorum capitibus pauló ante, ſuperbiùs lutulento calce inſtiterant. Multi quoque per abrupta liberrimè ſpatiantur, quorum temeritatis dæmon conſcius, agitatam ambitione cupiditatem eorum ad prenſandos apices, & decurrenda montium ſupercilia exſtimulat; ut eos funeſtam metam, fractis cervicibus attigiſſe videat. Quoſcunque non Chriſtus, ſed obſequium dæmonis, ſive culmini Eccleſiæ, ſive alteri eminentiæ ſupra cæteros evexit; abyſſum ſibi paratam ab eo credant; ad quam illos doloſus tentator tam diu invitabit, donec in eam incidant.

Statuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit: ſi Filius DEI es, mitte te deorſum.

SI Chriſtum in plano dæmon eſſe voluit; cur eum in excelsum montem, cur ſuper-

per pinnaculum templi extulit? & ſurſum deportatum, cur delapſum ſvaſit? Quare illi potiùs cogitationem circa ſarta tecta non injecit? Nunquam dæmon ædificat Eccleſias, ſed ædificatas deſtruit. Nunquam negligentiam Præſidum accuſat, etiamſi templa in deſolationem, & ſqualorem inclinent, licèt per defluentia tecta, aperiantur ſtillicidijs ſacra adita, perpluantur Sacrificantes, inundentur aræ, extingvantur ſacri foci, & candelæ; hæc omnia nihil curat dæmon, ſed hoc deſiderat unicum, ut Chriſtum de pinnaculo videat præcipitatum. Impellere deorſum non audebat Chriſtum dæmon; ſed tamen non ſe tenuit, quin conſilium ſuggereret, ut terram ſaltu peteret Dominus. *Mitte te*, inquit; *deorſum, ſi Filius DEI es.* Crediderat fortè illud certiſſimum documentum; quòd Filius DEI verus eſſet, ſi de ſublimitate cederet: ſed potiùs illud Filium DEI probat, ſi in ea, ad quam eſt evectus, ſublimitate, gradum teneat, & ad ima neſciat devolvi.

Statuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit: ſi Filius DEI es, mitte te deorſum.

QUoties in alto periclitari arrogantes incipiunt, non ſibi, periculíſque ſuis aliter conſulere poſſunt, quàm ſi non expectent, ut illos ab altitudine deponat lapſus; ſed ultro ſe ipſi demittant. Ergo quicunque ad maximè ſublimia contentione maxima enituntur, & in hoc vires omnes advocant, ut in faſtigium Eccleſiæ, in faſtigium favorum Aulæ, atque etiam Palatij evadant: propè eſt, ut ludum, & riſum dæmoni faciant; cui volupe erit ejuſmodi altitudines videre terræ alliſas. Remedium contra tentationes in pinnaculo templi præſentiſſimum eſt. 1. Nè ſe tentati dent illis cogitationibus perperam; quæ illos ſupra ſe ferant vice dæmonis; hoc enim eſt pinnaculum omnibus præruptis, hiatúque illorum periculoſius. 2. Ad ſublimia elati non progrediantur ultra. 3. Securitatem in humili eſſe ſciant. 4. Sive in ſublimitate, ſive in infimo conſtiterint, perſuaſioni malignæ morem non gerant. Abſcedet enim confuſus dæmon, ſi eos conſilia

lia

lia sua fastidientes advertat. Certum enim est, tentatione in peccatum trudi neminem; qui se in illud non projecerit. 5. Orandus DEUS, ut ab omni genere tentationum præstet immunes.

Pro eadem Dominica.

Tunc reliquit eum diabolus, & accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Matth. 4. v. 11.

NOn minùs Angeli prompti erant ad obsequium præstandum Christo, quàm alacer fuit dæmon ad tentandum. Hic quousque suppetebat modus tentandi Christi, & spes aliqua suberat non irritam tentationem fore, pergebat in tentando DEI Filio vires promovere. Angeli autem neque accesserunt, neque ministraverunt Christo; donec finiret omnes suas tentationes dæmon. Angelorum enim est præstolari eventum pugnæ in fortibus, illísque non nisì post obtentam victoriam ministrare; imbelles verò animas ante conflictum urgere, & incitare ad pugnam moris habent. Non exspectavit dæmon acceden-

tes Angelos; in quorum oculis majore probro fugeret; sed prævenit ultro secutum ludibria, & dedecoris plenus recessit; suborta forsitan illa spiritui nequam, cogitatio: cingent brevi latus Christi Angeli, igitur demigrem hinc quantocyus: non aderant hi, & non uno repercussu impulsus, consistere adversùs Christum certantem non potui; quid fiet, si celebres sapientiâ Cherubini convenient, ingeniorum acumen conferent, & juncto pugnent agmine? Quæ vis sufficiat, aut ad excipienda innocuè rationum tela, aut retorquenda scripturæ testimonia, textibus appositis? Non indigebat subsidiô Angelicô Christus, qui ab infinito sapientiæ fonte, lumen in Angelos derivat; sed nos cum tentationibus impetimur, periclitamur, nisì præsidiô Angelorum tempestivè muniamur; quod, si prævideat dæmon, aut nondum inchoatâ, aut nondum finitâ tentatione, recedere cogitur, sola spe protectionis Angelicæ confusus.

Tunc reliquit eum diabolus, & accesserunt Angeli, & ministrabant ei.

POst actum in fugam cacodæmonem, & con-

conſummatam victoriam, tum primùm adfuerunt Angeli. Nos ſumma neceſſitate ſtringimur, ut, dum pugna conſeritur, dum fervet, imò dum primò accenditur conflictus, Angelos præſentes habeamus, qui callidè, & acutè diſceptantem refellant hoſtem. Dictô enim citiùs, ſuis hominem paralogiſmis involvet diſputator dæmon, nisì Angeli, reſpondentibus, & certantibus, lucem directuram præferant. Conſueſce Angelis defenſoribus uti, dum tentaris: nec ad exitum, & pugnæ finem ſuppetias Angeli differas; ſed illius opem principiô certaminis, velut auſpicium, & omen quære. Sic enim dæmonis impetum, & audaciam, nullô negotiô infringes. Illud quoque tentatis diligenter notandum: quòd non priùs Satanas JESUM reliquit, quàm à JESU relictus, & ſeverô verbi iſtius imperiô, *Vade Satana*, amandatus fuit. Cauſam plerique, cur eos diabolus non relinquat, nè inquirant? Quia illi quoque relinquere diabolum nolunt. Relinquamus dæmonem, & ab illo relinquemur. Priùs Chriſtus Satanæ dixit, *Vade*: tum abeuntem, imò fugientem vidit: ſi abitum illius ex-

ſpectâſſet, & non imperâſſet, ut abiret; alios fortè quadraginta dies in deſerto exegiſſet. Non paucos jam pridem deſeruiſſet dæmon, nisì retineretur ab ipſis, faſtidio nequitiæ, & turpitudinis illorum averſus, quod peccantes nondum à peccato avertit.

Tunc reliquit eum diabolus, & acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.

SUnt alij, qui in tentationibus, & ſceleribus illaqueati, fruſtra præſtolantur, ut illos dæmon miſſos faciat: alij non dæmoni imperiosè ajunt: *Vade Satana*, ſed dæmonem ſibi denuntiantem audiunt; vade, faceſſe peccator, tuæ me nequitiæ, & tædium, & horror habet; abundè turpitudinis eſt, quâ te demerſiſti, profundiorem puteum, quo te immergam, non invenio. Nec dubitandum, quòd promptiùs dæmon impios deſerat, quàm hi dæmonem. Abigamus quàm primùm dæmonem, cùm per illecebras peccatum nobis admovet, eúmque abire incunctanter à nobis urgeamus. Filius DEI cum ſecurus eſſet, non extorquendum ſibi à tentatore conſenſum, tertiò demum aſſilientem repulit, & illo fulmine

mine, *Vade Satana*, percussit. Nos idem telum nè distulerimus stringere, cùm primùm nobis mortifera persvasione hostis adrepserit: intimandum illi confestim est, formidandum: *Vade Satana*: securitatem nobis infirmitas nostra morosè agendi, cum dæmone, nullam faciat. Ad suggestionem tertiò, vel secundò repetitam, nè differamus execrationem; nam si primam dissimulamus, jam illecti sumus. Ut primùm hostis patuit nobis; hostes nos sentiat: fugiet, si obseratum aversione nostra aditum videat.

Tunc reliquit eum diabolus, & accesserunt Angeli, & ministrabant ei.

NOn accersivit Christus Angelos, ultro adfuerunt. Non imperavit obsequia, illi tamen imperantis nutum prævenerunt, & imperium interpretati sunt; quòd nòn ingratè crederent accipiendum obsequendi laborem. Tangeret nos utinam æmulatio Angelorum, ministeria Christo festinandi, sed propinquiùs illud nos petit: quod in Angelis Christo circumfusis, cogitare possumus; Hi neque jejunij Christi, neque

neque pugnæ, & victoriæ de tentante dæmone, fuerunt participes; ubi verò squalore solitudinis fugatô, pallore quem inedia vultui indiderat, consumptô, Majestatem Omnipotentis Christus induit; creatrice manu, ex promptuario divitiarum Deitatis, epulas inferendas, eremi mensæ, reclusit; ubi frontem, pulchritudinis evinctam radijs, explicuit; tum demum immensis agminibus densantur circa Christum Angeli; ut pascantur divitiæ venustatis decore. Tales nos planè sumus Angeli, non pugnæ, sed mensæ ministri. Nullam inde censuram merentur Angeli; quod jejunij incapaces, non jejunârunt cum Christo, & viribus illius præsidentes, certanti cum dæmone suppetias non obtulerunt; ubi tamen mensam subodorati sunt, illico accesserunt: quia non tanquam convivæ, & commensales, sed tanquam ministri, parandis, ferendísque, non consumendis epulis, studium, & operam suam impenderunt. Nos incurrimus notam illam; advolamus pernicissimè ad mensam; maximè, si hæc favos mellis porrigit; cùm verò jejunandum, cùm tentationum acies perrumpenda, & disjicien-

cienda, cùm ſolitudo per eremum horridior ſuperanda, tum verò inviſibilitatem Angelicam induimus. Sed exeſſe penitus à Chriſto obſonatores iſti debent: nam ſi non conſpicui luctanti Domino aſſiſtunt; quæſo, nè ad menſam etiam Angelos imitentur inviſibiles.

Tunc reliquit eum diabolus, & acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.

NOn dubito, fuiſſe tunc præſentes in deſerto Angelos, cùm diabolus ter Chriſtum, inſtar Cerberi adorſus, toties ab eo ità repreſſus eſt; ut, qui mordere volebat, nè latrare quidem ampliùs auſus. Notabant puto Angeli ſingulas tentationes, & remedia illarum propter commune tentatorum bonum; licèt ea de re nihil enuntiat Evangelium; ſed tantum miniſterium Angelorum, refert. Illorum enim eſt, non menſas tantùm jejunantibus adornare, ſed etiam jejunij rigore tentatis aſſiſtere; nè tertio hoſtis aſſultu ſuccumbant, poſtquam ſemel, atque iterum victoriosè decertârint. Non illaudabile eſt dicare miniſterium menſæ Chriſti; ſed melius eſt, ſi te comitem

tem Christo adjungas, incentiva vitiorum profliganti, quàm sportulæ imminenti. Expeditum probabis Christum, ut transiens ministret tibi, si te illis junxeris, quos jejuniô, & solitudine ad pugnas, & victorias de tentante hoste erudivit. Meliùs est imitatorem Christi esse in lucta, quàm Angeli in mensa. Aliàs te strenuè per omnes tentandi artes aggredietur dæmon; si spe prælibaverit non irritam tentationem fore, quod ille ex appetitu, & ministerio mensæ quantumvis Angelico, conjiciet; si jejunia, eremum, sacros codices, ad excerpenda tela, quibus hostem repellas, neglexeris. An eâdem viâ, quâ venerat in desertum, regressus est dæmon relictô ibi Christô, non inquiro: Ad mensæ Christi accubitores, non Christo, sed palato servientes, eâdem semper viâ, & venturus, & rediturus est: si invitari se ad eandem mensam à Convivatoribus DEO dicatis, ex jusculorum odore, & condimentis escarum, subolfecerit. Pete gratiam à DEO, quæ te Christi exemplô, & singulas seorsim, & omnes simul uno ictu, & verbo: *Vade Sathana. Math. 4.* doceat expedire tentationes.

Do-

Dominica II. Quadragesimæ.

Duxit eos seorsum in montem, & transfiguratus est ante eos. Matth. c. 17. v. 1.

DEUS optimè novit, quinam assumendi ad montem, qui infrà relinquendi: homines sæpissimè tam in delectu montium, quàm in assumptione monticolarum, falli solent. Infinita quidem bonitas electionem illam promovet; quâ alij in sublime ducuntur, alij relinquuntur in humili: sed & Sapientia Divina suo designat radio locum singulis occupandum. DEO in hac coordinatione impossibilis error, hominibus familiaris. Illos frequenter collocant in infimo, & ad montis radicem; qui in montis vertice conspicui, potiore merito debent esse: illis è contra montem Thaborem suo abdicunt suffragio, quos par erat in aditu montis hærere. Perquam utilis hominibus notitia est, ut intelligant, quos ad montis conscensum vocent; quos sub monte relinquant; nè Abrahami inverso consilio, Isaacô sub monte relictô, asinum in

in montem jugulandum , pro victima ducant. Sed contingit, nî fallor, omnes indiscriminatim, Isaacos videlicet, & asinos ambire montis ascensum; & reperiri neminem, qui infra relinqui velit. Moyses vult esse quilibet; quilibet cum Elia ad latus Christi perrumpere; consilio cuilibet adesse, in arcana quævis admitti, destinatis quibuscunque intervenire. Neque vires, & capacitatem suam interrogant; qui se ejusmodi secessibus à vulgo recedentibus, solâ impudentiâ inserunt, an aures, an oculos habiles, & non obnoxium vertigini caput, ad montis sublimitatem afferant; an inter sacrum illum Senatum, cui curia Thabor erat, alterius suffragio, præter suum adlegi mereantur; nihil horum illi cogitant: cùm tamen ista intimæ admissionis cohors, delectu, & principis gratia eligente, merita, quæ remuneret, auctoratur.

Duxit eos seorsum in montem, & transfiguratus est ante eos.

QUæri posset an Philippus, & Andreas invitanti ad montem Christo, excusâs-

sâssent asperitatem itineris? Puto quòd non: Si enim Petro in conscensu montis superfuerunt labori vires, nec juniores iter illud fatigâsset. Sed quòd hi, non alij assumpti à Christo sint, benignissimæ voluntatis libera dispositio, adoranda illis, quos felicitas hæc præterîjt, non acerbitas ex aliorum honore trahenda. Non te angat inclinata ad alios Principis gratia, & fiducia illis incumbens: sed meritis ad animum, & liberalitatem illius, aditum tibi para; neminem sublimitate sua depellas, aut in ruinam eorum, qui montem occupant, immineas. Meritô, & integritate Christiana obtinebis certiùs; ut te porrecta manu attollat DEUS, téque, & sangvinem tuum videas, in famæ, honorum, & opum sublime, perductum. Quod si DEO placuerit te infra montem, & in humili semper esse; excipe voluntatem divinam obsequentissimè. Plùs dicam, non facilè etiam vocati in montem eant, nisì priùs in divinæ placitum voluntatis iverint. Multi enim se ad montem, & transfigurationem Domini invitatos credunt, qui ambulantes in plano, eunt, quò volunt, inconsulta voluntate DEI. Alijs

DEUS mandat: In monte ſalvum te fac: Alijs ſalutem quærendam, in valle lachrymarum oſtendit: Ut autem nemini ſaluti fuit mons, ſed virtus, & probitas illata monti; ità nemo DEO contemptibilis, & abjectus exſtitit, qui deſtitutus opibus, humili conditioni, ſublimem virtutem conjunxit. Evaneſcit, & in nihilum abit exilis probitas, in ſublimi monte; Virtutis verò ſublimitas, quacunque conditionis vilitate depreſſa, tranſcendit omnes, opibus, & affluentiâ terrenâ, altos montes.

Duxit eos ſeorſum in montem, & transfiguratus eſt ante eos.

MOntem Chriſtus, non planitiem elegit: ut ibi, ſpectantibus diſcipulis transfiguraretur. Poterant nitere veſtimenta Chriſti candore niveo, etiamſi montem non conſcendiſſet: poterat illi facies ſolaribus radijs effulgere: poterant Apoſtoli in plano & audire, & videre, quæcunque in monte viderunt, & audiêrunt: Non difficilius erat Moyſi, & Eliæ ad conſortium Chriſti, & Apoſtolorum, accedere in plano, quàm in edito monte: Cur tamen Chri-

ſtus

stus montem excelsum, & illius cacumen elegit; in quo suam gloriam panderet? Missâ ad ingeniosos facti hujus disquisitione, ausim dicere; montes excelsos, si non Christi, certè hominum transfigurationi, magis esse opportunos. Colles, & depressa vallium, non consueverunt, mutatione hominum inclarescere. Vix ille admirationi, & spectantium plausui admovetur; qui, non memorabili conatu in ardua, & perseverante, in edita, quandoque & inaccessa gradu, enitatur: tantò magis vix reperire est aliquem, qui excelsa adîjt, nec tamen esset in sublimi mutatus: Non vesti tantùm, & faciei, sed moribus etiam alium colorem, & speciem inductam notamus in illis, quos DEUS, in edito divitiarum, honorum, & felicitatis monte, collocavit. Ità monti transfiguratio cohæret, nec ultra montem protendi conspicitur. Ut primùm autem mons relinquitur, lineamenta gloriæ, quæ se non in vestibus tantùm, sed etiam in moribus, magno splendore explicuerant, disparent.

Duxit eos ſeorſum in montem, & transfiguratus eſt ante eos.

FElix, quem nulla mutat ſublimitas, & transfiguratio; præſertim ità, ut oculos eorum, qui eum, ante transfigurationem in monte, noverant, everberet ſupercilio: Faciem tibi transfigurate licèt ſolis radij ambiant, dummodo non auferant, parum refert; ſicut ſoli lucenti in alto, gloria eſt, aſpici ab hominibus in terra, ità transfiguratis pulchrum, ſi aliorum, ſuo non perculſos lumine oculos, ad ſe pelliciant: Si noſci non à Moyſe tantùm, ſed & à piſcatore libenter habeant: Si in monte non Eliam duntaxat, ſed & Apoſtolum pauperem alloquio dignentur; ſi eos, quos gloria eorum trepidos facit, modeſtiæ, & urbanitatis dicto: *Nolite timere*, liberaverint metu, reſtituerint paci, & tranquillitati: Pauci ſunt tales, ſed pauciores adhuc, qui, dum ad montem, & altitudinem quamcunque contendunt, alios ſecum ducant: qui opem, in altum enitentibus, & manum porrigant; qui non ſolitarii, ſed comitati, in monte malint eſſe: ſed nec obvia cuicun-

que

que felicitas est in montem evadere. Non tres, non duodenos tantùm, sed & mille-nos Apostolos, dorsum montis capere poterat: vix tres tamen fuerant, quos lateri suo proximos, gloriæ suæ vicinitate felices esse voluit Christus, & ad montis radices, cum alijs non reliquit. Tres non nisì ex sua collegiali tribu ad montem duxit: duos aliunde adscivit, nec pluribus quàm quinque gloriam suam manifestavit: multorum tamen gloriosas in montibus elevationes, hôc factô improbavit, quòd solus in montem Thabor ascendere noluit, sed alios quoque secum duxit; sinè quibus elevari solus noluit.

Duxit eos seorsum in montem, & transfiguratus est ante eos.

Approbatione communi, & veneratione, meritò celebrari debet ille, qui DEO ducente, montem, & sublime tenet. Sed qui eò irrepsit vel suo, vel aliorum errore, nec constat, cujus vestigia secutus sit; si nequeunt Evangelico stylo illius in ascendendo, exantlati conatus notari, si verecundus calamus cogitur declinare, nè at-

tingat ſudores, anxietates, & curas, quibus nonnullis ad ſublime via inſpergitur ; Hi ſæpiùs ſe ipſos interrogent: Amice quomodo huc intrâſti? Quomodo tam altum, & cœlo ſe inferentem verticem aggreſſus es? Cùm nec Moyſen te, nec Eliam, nec Apoſtolum Chriſtus agnoſcat? Quó perductore uſus es ad ſublimia? annuntia his, qui ad radicem montis relicti, ſuper elevatione tua obſtupuerunt. Ille de alio duce ad ſublimia interrogandus non eſt, qui ſuis meritis ad excelſa, nemine præeunte eſt perductus. Putant aliqui elevatorum, quòd in tam aperto, & ipſa eorum ſublimitate omnium oculis patente loco, in quem ſunt evecti, poſſint latere ductores illi, quorum veſtigia ſequentes, ad faſces, & faſtigium montis aſcenderunt: ſed factionis artificia, aurum, quod illis aſperitatem itineris emollivit, non monſtrari: res magìs ardua eſt, quàm altiſſimi montis aſcenſus. Monti, quantumcunq; ſacro, nè fidas, ſi te ad hunc non Chriſtus, ſed quiſpiam alius evexit. Occupâſti ſpatia illius, ædificatis tabernaculis, exclamas: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Sed quàm diuturnum hoc bonum erit, tu videbis, & tem-

tempus reteget. Pete gratiam à DEO, quæ tibi ad montem per veſtigia Domini JESU, conſcendendum adſpiret alacritatem.

Pro eadem Dominica.

Transfiguratus eſt ante eos. Matth. c. 17. v. 2.

QUàm verecunda in monte Thabor, Apoſtolorum modeſtia fuerit, inde colligitur; Viderant ſuperfuſâ gloriâ transfiguratum, veſtimentis magnificentiæ cæleſtis circumdatum, ſolis radios referentem facie Dominum; nihilominus in novitatem hanc inquirere minimè auſi: Non eos inquietos egit tantæ novitatis amor, non occaſionis ad diverſa reſpicientis mobilitas flexit, ad violandum, quod loco illi ſacro debebatur, ſilentium: maluerunt rebus ipſis delectari, quàm de varietate rerum nunquam viſarum, curiosè loqui. Nihil prorſus humanæ curioſitatis inerat Apoſtolis: non indagârunt unde terrena pretia ſuperans byſſus? Unde niveô candore ſplendida chlamis, quæ vilibus, & detritis lacernis ſucceſſit? Unde eſſet, quòd ſerenati o-

culi, tam copiosam, tam amœnam lucem spargerent? Quid causæ intervenisset, quòd solâ ante pulchritudine, & gratiâ congenitâ niteret Christus? Nunc etiam jubar solis vibraret. Nihil viderunt horum in monte, quæ antea spectabant; admiratione tamen, quàm percunctatione occupari maluerunt; nihil suâ referre putârunt scire: unde Domino cultus ille, unde splendor afflueret. Et reverà nihil attinet, servos expendere proventus Domini, aut quænam illi felicitas, vel industria paret vestitum, aut mensam instruat. Quæcunque vestis Dominum tegat, ùt minimè Dominum mutat, ità studium obsequendi mutari in servo non expedit: Diversitas indumentorum Christi, obligationem Apostolicam non diversificat.

Transfiguratus est ante eos.

QUâcunque sub forma persona Domini, oculis servi illabitur; par alacritas, par in obsequendo gustus emicare debet in servo; seu Domini frontem, serenior mens explicuerit, seu nubes tristior obduxerit. Non vestis, non severitas, aut lætior species obse-

obſequendi lege adſtringit ſervum; ſed dignitas coaptantis in ſervitium. Quæcunque figura exhibet ſervo Dominum, pariter eum intueri, colere, illíque promptus obſequi tenetur. Ideo Chriſtus unius ex Apoſtolis, conſilium de figendo in monte domicilio, non admiſit; quòd ei ſpecies illa gloriæ, intimè placuiſſet: ſed quàm primùm cogitationes illius perſpexit, mox & veſtimentorum honorem poſuit, & alium induit vultum. Magnæ virtutis eſt, agnoſcere dominum, quâcunque ſpecie transfiguratum; ſi impia manus Chriſto veſtimenta diripiat, ideóne ſervitium illius evacuandum? Imò tum maximè fidelitatis adamanda conſtantia. Transfiguratio enim, utcunque ad Dominum pertineat, ad ſervum minimè ſpectat. Non enim à veſte habet, quòd Dominus ſit. Illud quoque notandum venit, quòd Chriſtus non eô ſuam transfigurationem peregit modô, quô orationem in horto. Ibi ſeceſſit ab Apoſtolis, & orationi ſe dedit: hìc & Apoſtolos comites, & Moyſen, ac Eliam ad ſpectandam ſuam transfigurationem admiſit. Ecce cur clam illis, deſtinata ſua non habuit?

Sed in patenti conſpectui omnium ſublimitate, admiranda ſuæ innovationis opera peregit? Cur non in alio remotiore loco, aſſumptô Majeſtatis honore, ad oculos ſpectantium proceſſit? Suſpicionibus forſan, & perplexis cogitationibus objicere diſcipulos noluit transfigurationum adhuc ignaros: pronum enim illis fuerat, agitare animo hujuſmodi ſcrupulos: Quò noſter abſceſſit Chriſtus? Alium quempiam involvit hæc majeſtas, non illum? Chriſto enim pompa veſtium, & pretium cordi non eſt: Forſan etiam antiquum ſuum exclamâſſent! *Phantaſma eſt. Matth. 14.* Excluſit ſuſpiciones ejuſmodi, cùm in oculis adſtantium transfigurationem peregit. Sed utcunque ab iſtis ſuſpicionibus metuere non debuit Chriſtus, novam adſciſcens ſpeciem; hominibus tamen, qui transfigurationum amore tanguntur, videndum eſt, nè ſuſpiciones de ſubita gloria, & ſplendido veſtium apparatu proritent.

Transfiguratus eſt ante eos.

QUoties ſervorum oculis transfigurationes Dominorum glorioſa ſpecie objiciun-

ciuntur, vix aliquando censuram effugiunt. Mirantur breviter, excutiunt diu famuli magnificas Dominorum suorum transfigurationes: subeunt illis diversæ cogitationes, & captu perdifficile agnoscunt, quid transfigurationes aliquorum concinnet? Unde illis conviviorum lautitiæ? Unde carpentorum,& famulitij longus ordo,cùm nihil horum immediatè præcesserit? Ex quo fonte ista promanant, quæ per plures rivos apud alios pridem sunt effusa? Manifestum videtur esse, quemcunque talium Elevatorum,transfiguratum esse, sed minimè *ante eos*. Transfigurati, quibus è re tenui in amplitudinem: ex obscura vivendi sorte, in splendidissimas domos transire contigit; Vix tamen ullâ conjecturâ ostendi potest, quô gradu, in eam fortunæ, & gloriæ sublimitatem evaserint; non videntur ante servos suos, sed clam sinè eis transfigurationem suam peregisse. Illorum sæpiùs miseranda livoris anxietas, sollicitè rimatur transfigurationes, qui suorum meritorum magnitudine elevati in honoris, & fortunæ sublimitate constiterunt; splendore alieno quàm primùm sibi perculsa fuerit invidia,

vidia, oculos ſibi lædi ſentiens, improviſam transfiguratorum clamat eſſe lucem illam, quæ antequam meridiana eſſe cœpit, exortum Solis, non fulgurationes imitata, ad meridiem pervenit. Transfiguratorum proprium eſt, & lingvas, & admirationem excitare.

Transfiguratus eſt ante eos.

TOtô vitæ ſuæ ſpatiô Chriſtus unicam transfigurationem glorioſam habuit: eíque tantùm tres Apoſtolos ſpectandæ admiſit. Hominum è contra genius eſt, ut ſi diſſimulatâ, vel poſitâ priore vilitate, gloriæ vultum induant, non ferant ſe, niſì pleniſſimô theatrô ſpectari, ſplendori ſuo minus lucis ineſſe credentes, ſi unius ſpectantis oculô excipiatur. Vitia hæc ſunt humanarum transfigurationum, non præmia transfiguratorum. Aliqui quotidie vellent transfigurari, nec à tribus, ſed à trecentis ſaltem ſpectatoribus, transfigurationem ſuam coli, & adorari: cùm derepentè coguntur, mirâ DEI providentiâ, de monte deſcendere; & nihil prorſus de transfiguratione amicis etiam, & contribulibus ſuis

ad solatium elevationis illius, quæ unà cum suo splendore, & luce feriente intuentium oculos, & admirationem, occubuit: pyrobolo non absimilis, qui simul elevatur, splendet, crepat, & unà cum suo fomite lucis, & splendoris perit.

Transfiguratus est ante eos.

TRansfiguratio quò magìs in altiori monte peragitur, eò minùs de splendore, & pompa transfigurati requirere videtur. Quidquid enim comitatui, & plaudentium numero deest, montis altitudine abundè suppleri creditur: solitudinem itaque maximè in monte conspicuo, si is sacer fuerit, nemo interpretetur ex eo, quòd sibi in illo viles piscatores assistant, non illustres aulici; quia angustior etiam corona, augustiùs transfiguratum cingit, cujus capiti non ex fastu, sed ex virtutis fastigio, mons Thaboreus tiaram imposuit. Diversô gustu mundi, & Christi sublimitas æstimatur. Mundus gloriam suam dedecorari putat, si pompâ suâ frequenti, eóque nobili spectatore non strepat, sed oculis vilibus pateat. Christo gloriam suam explicanti,

tres

tres piſcatores rudes, inopes, contempti, comitatus fuerunt, & totum theatrum. Petamus à DEO gratiam, ut non alium deſideremus Chriſtum, quàm ſe nobis transfiguraverit. Penuriâ licèt, & inopiâ cingamur, à comitatu Chriſti, licèt Elias cum Moyſe dilabantur, nos Domino, non veſti, non monti ſerviamus. Faceſſat procul, plena vilis animi, & perfidiæ cogitatio, ut alium montem, alium in monte quæramus Dominum, cui obſequia noſtra addicamus; Transfigurato parùm proſperè Domino, fidelitas noſtra, & ſerviendi debitum non transfiguretur.

Pro eadem Dominica.

Apparuerunt illis Moyſes, & Elias; Petrus autem reſpondens, dixit: Bonum eſt nos hìc eſſe. Matth. c. 17. v. 3.

DIſcipuli Chriſti ultrà ſuam ſpem, ad mutuam cum Moyſe, & Elia notitiam pervenerunt. Noſſe utrumque non poterant, niſì ex prædicatione aliorum, vel lectæ à ſe ſcripturæ teſtimonio; tunc verò à monte

te sacro, in eam provecti felicitatem sunt, ut non ex fama tantùm, sed ex vultu quoque notos haberent. Pernotuerunt & ipsi Apostoli Moysi, atque Eliæ. Perfacilè enim consequuntur, ut noti sint, quos in montem perducit Dominus. Et conspicuus ipse, & conspicuis non ignotus est, qui à comitatu Domini in monte, non excluditur; & qui coronæ publica tractantium negotia intervenit in oculos, & notitiæ dignissimorum se inserit, ipséque facilè dignissimus innotescit. Haud dubiè, nec Moysis, nec Eliæ spectandi felicitas contigisset Petro, nisi is quoque in monte fuisset. Indulget etiam Piscatori se videndum Moyses, si hunc in monte viderit. Mos nimirum ille hominum est, ut in humili positos, nec nôsse, nec respicere velint: sed in montem elatos, nè Moyses quidem convenire dedignatur: nihil morata est Moysen distantia montis, in quo per Angelos tumulatus fuit; adfuit, ubi Petrum in sublimi consistentem advertit. Sublimitas oculum, & notitiam aliorum conciliat, etiam hominibus abjectis.

Appa-

Apparuerunt illis Moyses, & Elias; Petrus autem respondens, dixit: Bonum est nos hìc esse.

UT DEO notus fiat homo, eminentias, & montes nè requirat: In terram licèt descenderit, spectandum se illi præbebit DEUS, si meruerit; Moysen Discipuli Domini in monte tantùm præsentem habuerunt, Christus nunquam illis abesse sustinuit, eminentiore, seu humiliore loco constitutis. Adeò faciliùs, crebriúsque Christus, quàm Moyses in oculos venit hominum: pleniúsque, & expeditiùs à fonte consequimur, quàm à stilla, nè sitiamus. Quid angeris, quòd se tuo aspectui negent Moyses, & Elias, si te benigno aspectu, & alloquiô dignatur Christus. Loquatur illi Moyses, & Elias, tu silentium preme, nisì ad te in Senatûs consilio dicendi ordo pervenerit. Minimè enim opportuna videtur responsio, quæ aliorum colloquio, non quæsita inseritur. Non Moyses, non Elias alium interpellabat præter Christum: Non Christus etiam quidquam Petro locutus; hic tamen, cùm ad respondendum non inter-

interrogatus inofficiosè prosilîjt, & non si-nè gravi crisi, colloquio aliorum interve-nit: Unicus hic error in Petro tunc fuit, dissimulatione Christi subductus graviori censuræ; ideo forsitan, quia in gravissimo illo consessu longam orationem de taber-naculis non deprompsit. Compluribus tamen familiare est, ut aliorum colloquijs prolixô sermone, & alienissima à scopo di-gressione interveniant; & sæpe in negotijs gra-vibus arbitros se faciant, solâ temerariâ ad consilium vocati importunitate. Non compellati, non interrogati respondent; hoc est: sibi loquuntur, se ùt mente, ità & ore versant.

Apparuerunt illis Moyses, & Elias; & respondens Petrus, dixit: Bonum est nos hìc esse.

NEgotium de excessu gravissimo, cui publica mundi salus nixa erat, agita-batur: cùm Petrus aliquid aliud, extaticô quasi spiritu proposuit; sed mox desiderio suo renuntiavit. Ad consilia nonnulli fer-vidiores si vocentur, negotio præsenti men-tem, & lingvam non applicant; sed privatis com-

commodis, & cupiditatibus pertinacissimè impendunt: quæ illos sæpius sibi subducunt, & futurorum memoriam, præsentis illiciô lucri, expungunt. Nihil omnino de ædificio in consilij illius materiam veniebat; Petrus autem structuras loquebatur, & suô suffragiô ædilis factus, tabernacula erigere parabat. Jure meritô ab Evangelio notatus, quòd nesciret, quid loqueretur, hoc est: quòd non tempori, non actioni, quæ fiebat, congruam ingereret dictionem. Raró sinè censura, sæpe non sinè periculo, majorum sermonibus, interstrepere audet importunitas. Quod cordi cuique est, id & in lingvam primùm venit; & quidquid fixiùs animô hæsit, occasione quâlibet, aut nullâ, importunè promitur. Contulit Christus cum Moyse, & Elia, sublimitate montis, & personarum digna: Petrus verò, quantùm meditata sibi, tantùm à re, & tempore distantia proposuit. Non struendi tempus illud fuit, sed proficiendi ex colloquio, quod Christum cum Moyse, & Elia detinuit. Sermo importunus, & à proposito exerrans, quanquam nullibi non culpandus, maximè tamen vapulat; cùm in il-

la etiam ſacraria perrumpit, in quibus lex immaculata Domini, inter teſtimonia cœli, & obſequentium devotionem evolvitur.

Apparuerunt illis Moyſes, & Elias; & reſpondens Petrus, dixit: Bonum eſt nos hìc eſſe.

HOminibus, quibus gravitatem ſui mores conciliant, acerbum eſt, ſi per alienam garrulitatem pergere in dicendo non poſſint. Commoditatem, & ſatietatem colloquendi, quotidiana conſuetudo facere poterat, quam illi, & alijs Apoſtolis indulgebat Chriſtus; ſed quia vix Moyſen, & Eliam deinceps ſperabat ſe allocuturum, ut in gratiam illorum diceret aliquid, rara, licèt diſparata, loqui maluit, quàm nihil dicere, aut inuſitata proferre, fruſtrarique Eliæ præſentiâ, & Moyſis. Aliena, & alijs permiſſa ad dicendum ſpatia, nè invadas, tuis te contine, quiſquis garrulitate oblectaris, limitibus; nec ad negotia, nec ad tempora non tua excurras. Abunde eſt, ſi tuum tempus rectè impleas. Aliorum decerpere tempora injuriam crede, qualem, malè tolerares, ſi commoda occaſio tibi, in

in gratiam Domini adrependi, obsideretur. Adducas frena lingvæ exercendæ meliùs, cùm tempus campum aperuerit; Moysen gratiâ præire noli apud Christum, sed tuô te metire pede: & agnosce, quòd altior gradus meritorum propiorem oculo Domini, & discursui fecit Legislatorem. Breviùs dicam: Moyse in colloquium admissô, Petrus taceat.

Apparuerunt illis Moyses, & Elias; & respondens Petrus, dixit: Bonum est nos hìc esse.

SI Moyses, & Elias non fuissent locuti cum Domino, credo, quòd etiam Petrus tacuisset. Illorum familiari colloquiô excitus, sermocinari cœpit, non propositô dicendi, sed æmulatione disertus factus. At ferventiora illa dicta exciderunt Petro, non quòd æmulatio, sed admiratio, & nunquam ante probatum gaudium, lingvam illius regeret; cùm sancti montis splendore, & gloria plenus, suíque, & terrenæ conditionis oblitus, temporalia omnia fastidiret. Non in mentem quidquam simile, non in oculos admisit, ùt vidit cominùs beatitudinem;

à monte ſacro divelli non ſuſtinuit: & nè guſtum exuperantis lætitiæ amitteret, domicilium figere, ubi cor fixum erat, cogitavit. Non Jeroſolymam, non hortum dolorum, & ſudoris fæcundum, ædificationi deſtinabat Apoſtolus: quòd ibi bene eſſe, nec experiretur, nec ſperaret; Montem Thabor felicia experimenta commendârunt, illexit guſtata ſuavitas Petrum, quam alijs, quia communem voluit, imò ſui oblitus, alijs tabernacula excitare optabat. Si ſuavitas, & pulchritudo cœleſtis ab ore Chriſti promicet, ſi mitiſſimus virorum Moyſes placidis moribus blandiatur, quis comitem ſe lateri horum non addat? Quis in contubernium non convolet? Ad ſtruenda pone tabernacula non accingatur? Intractabilis verò ingenij patronum quis ambiat? Vel ſi eum imprudens elegerit, quis non tabernaculô quoque relictô, fugiat? Pete à DEO gratiam, quæ te humilem Deo, dignum Sanctis contubernalem reddat.

Pro eadem Dominica.

Faciamus hìc tria tabernacula ; Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. Matth. c. 17. v. 4.

QUisque suæ fortunæ faber, & esse, & dici potest. Erigendæ, fundandæ, dilatandæ felicitati insudant omnes, singuli suæ: nemo alterius. Prono cursu naturæ formantur, imò potiùs nascuntur artifices, qui sua struunt, & promovent. Tot affluunt industriæ, consilia, & artes sua curandi: cùm è contra vix longa erudiat institutio, vix persuadeant oculis admotæ calamitates aliorum, ut manum ad ferendam opem indigentibus moveamus. Quàm rara hæc humanitas hominibus, quorum paucissimi alijs, sibi quisque ædificat. Antiquorum, & ferè in memoria hominum, abolitorum temporum illa felicitas erat; ut Christo, Moysi, & Eliæ struerent alacriter homines tabernacula; nunc universorum labor, nonnisì se respicit; Si antiqua tabernacula Christo, vel Moysi desint, de novo alicujus liberalitate ponenda, non sperentur. Subsidunt

ſidunt in ruinas templa, vaneſcunt inter diripientium, vel retinentium manus dotales cenſus, quibus cultum ſponſæ, & nitorem Eccleſiæ habere debuerant: ſqualent deformi ſitu altaria, dum in ſtruendo luxui ſuo laborant etiam illi, quos DEUS in Tabernaculi ſui cuſtodiam Cherubim eſſe voluit extenſos, & protegentes Sanctuaria; Non jam hæc tempora architectos habent, quibus verecundiam faciat Arca Domini, ſub papilionibus poſita, dum ipſi in palatijs cedrinis diverſantur: Non illæ ampliùs gratì animi indices audiuntur voces: *Ædificabo DEO meo Domum. 2. Reg. c. 7.* Ille thronum mihi Regni firmavit, poſuit Regiam, ego templum illi excitabo.

Faciamus hìc tria tabernacula; Tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.

COnſideratione dignum: quòd, ubi Chriſto, aut Moyſi, ſtruere aliquid aggreditur humana alacritas, quôcunque tandem motivô excitata, vix alium locum eligit, quàm in quo anguſti contractio animi, non obſcurô ſe prodat veſtigiô. Non ad ſpeciem Thaboris, eminentior ſitus quæritur, ubi

ubi ſplendor Domûs DEI, oculis ſe prodat omnium: non amplitudo ſpatij, in quo Majeſtas diverſantis in terra DEI, admirationem & oculum impleat; non ille, qui cœleſtis ſplendorem Jeroſolymæ adumbret, qui venerationem poſcat artis, & materiæ delectum exigat, adhibetur artifex; ſed imperitus faber advocatur, qui tuguriolum mapali potiùs, quàm Sacrario ſimile, levi manu componat, & ingentibus titulis ſigilla exigua addat; quæ utcunque Chriſtum, & hinc inde Moyſen cum Elia referant, & adornent aram, quæ parietes, quibus clauditur, impleat; exſcripta idea templi, quæ minutum diſtendebat animum, ſufficit etiam oſtentationi, quòd Fauni, & Nymphæ par ſacello culmen attollant: Si viminea ſepta, non magnam aram obeant; ſi Crucis Dominicæ non eminentius figatur ſignũm; ſi ædicula, non plùs quàm aram, & ſacrificantem clauſurą ſtruatur; fundatorum ſumuntur nomina, & tituli, ſub quibus tectum lateat. Cui autem & res, & animus amplior, Sanctuarium tale ſtruat, quod ſuppedaneo monti inſiſtere deceat. Cæterùm cui arduum eſt in ſublimiora eniti,

 ti,

ti, ſtruat etiam in humili receptacula Chriſto: ut Hic, ſi non aquilarum nidos, ſaltem vulpium foveas non invidendas habere ſe apud nos, teſtari poſſit.

Faciamus hìc tria tabernacula; Tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.

CHRISTO domum quicunque in terra ſtruimus, polliceri poſſumus, nobis ab illo ſtruendam in cœlo. Imò quam hìc à nobis Chriſtus habuerit, eandem incolemus per æternitatem. Nobis proinde impendimus, quidquid in firmitatem, & decorem tabernaculi Chriſto ſtruendi erogamus. Quoties nobis, noſtríſque ædificare ſatagimus, nè Chriſtus quoque memoriâ excidat; Quem ſi tabernaculò ſeparatô non dignamur, à contubernio ſaltem noſtro, & noſtrorum, non Eum excludamus. In lateribus domus tuæ filio unico, ceu columnæ inniteris, coapta in columnam alteram Chriſtum; ſi duo domum filij ſuſtinent, tertium à Chriſto columen quære; anguſtias nemini faciet in conſortium admiſſus. Et domui firmitatem, & tibi, ac tuis, & proſperitati perpetuitatem addes, ſi Chriſtum

contubernalem habueris. Trifariam à divo Petro partitus fuit labor; alium Christo, alium Moysi, alium Eliæ destinaverat; nullâ mentione factâ Andreæ, Jacobi, & suimet ipsius. Certus nempe fuit, etiam in angustiore casa, non facturos angustias, illos montis sacri hospites, & ex pacificis omnibus non futuram turbam. Locum proinde inter ipsos, non tantùm tribus Christi discipulis, sed & millenis non defuturum sciebat. Unum quin imò tabernaculum inclusisset commodè, & pacificè, omnes illos Christi comites, etiamsi non incolas tantùm, sed & patres familias, necessitas aliqua facere voluisset. Non aberrâsset proinde divus Petrus, etiamsi non tria, sed unum pro omnibus tabernaculum designâsset: cùm exiguum etiam conclave, plures tranquillitatis amantes, bene capit; discordibus, & inquietis vel duobus, civitas integra angusta est. O! quàm paucos invenias, qui non solitarijs domibûs, segregandi sunt ab alijs. Noverint autem illi, quoscunque non nisì diversum à Christo, & ejus comitibus tabernaculum capere potest; non bene morum tranquillitati consultum fore,

fore, ſi Petro ardentiori, vel Eliæ contubernió jungantur. Singula capita diſcordium, ſingulos montes, eóſque inacceſſabiles alteri, pro ſeorſivo cujúſque tabernaculo poſcunt. Qui verò ſtudio pacis, & charitatis, devota ſe propenſione addixerunt, hoc conſequentur ſolatium, ut anguſtiæ, quas incolunt, etiam pro alijs laxentur. Quòd ſi aliquos intemperies ſua agitaverit, cum illis ſimul, neque mons Thabor, neque ſeparati, ſeorſivíque montes, cœleſtes advenas poterunt complecti. Montes, cuique inquieto etiam ſuos relinquerent, ut pluribus ſaltem montibus, ſi non capi, certè obrui diſcordia poſſit. Quietam nunquam ille manſionem habebit, apud quem affectionum diſordinatarum turba ſtrepit. Charitate in proximum, & tranquillitatis amore, nè deſtituaris, ſi humanæ ſocietatis tabernaculum mereri, & experiri velis.

Faciamus hìc tria tabernacula; Tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.

CUr non omnia tria deſtinantur Chriſto tabernacula? Adeóne Moyſi, etiam in præſentia Chriſti, ſingularem eſſe, collibuit?

buit? Etiámne dulcedo illa, cujus gustum paradysus præfert, & mons Thabor prædicat, humanæ proprietati vilescit? Sibi ipse dissentit, qui & Christo adhærere cupit, & se ab illo, seorsivô tabernaculô dividit. Tria potius tabernacula debebantur Christo; Moysi, vel nullum distinctum congruebat; utpote non passuro absentiam â vultu Salvatoris, qui illum gaudiô, & extasi inundaverat; vel abunde unô, eodémque cum Elia diversoriô excipi debuit. Optimum enim, & felicissimum Moysis, & Eliæ tabernaculum est, si idem, & Christi fuerit: nec meliùs diversari poterunt, quàm si contubernalem DEUM habuerint. Humana, sive aviditas, sive invidia, aliena in suo fundo ædificia, surgere non patitur. Et jam commune jus, transcribit Domino fundi, quidquid huic superstruitur. Divina è contra benignitas libenter habet, etiam montes sacros, nostris inædificari operibus; ut nobis maneant labores nostri, quos ad gloriæ divinæ confinia promoveamus. Et Moysi, & Eliæ, licet in Thabore sacro tabernacula figere, ut possessio firma, & æterna sit; licet tabernaculorum ædificationem,

extra

extra tempus ædificandi, Christus non admisit. Ideo nunquam mansuras domos, humana sollicitudo ponit, quia fundum proprium in terra non habet, cui tutò ædificium incumbere possit: Babilonicis etiam firmiores imperijs domus, soliditatem habere non possunt, nisì Thabori, aut cuipiam alij sancto monti insistant; per cujus adhæsionem, aut saltem vicinitatem, alieni etiam fundi jus, ad ædificatores, dispensante Domino, cujus totus est orbis, transit.

Faciamus hìc tria tabernacula; Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.

TAbernaculum Moysi, & Eliæ, juxta tabernaculum Christi, non immeritò designatur. Frustra enim Elianum fervorem, Moysis mansuetudinem, & legislativam Sanctitatem consistentem, & stabiliter diversantem alibi quæras, nisì ad latus Christi. Impetus Eliæ frangit Moyses, langvores Moysis movet ad generosiores Spiritus, Elias; utrique autem, nè devient à recto tramite, Christus ad mansvetudinem, & zelum viam monstrat; igitur nè sinè Moyse Elias plùs solitô ferveat, néve sinè Eliæ consor-

ſortio, abſque moderamine Moyſes intepeſcat; uterque ſe ad tabernaculum Chriſti, ſuô relictô recipiat, qui & ignes temperat, & frigora, nivéſque calefacit. Illud quoque ſaltem obiter conſideratio tangat; ex Petri deſignatione tria tabernacula ſurgere debebant, nullum tamen ex illis ſtetit. Ità humanum *faciamus* iners, & incertum, primóſque intra fervores non tepet ſolùm, ſed friget; maximè cùm Chriſto aliquid, vel Sanctis ejus ſtruendum venit. Ejuſmodi tabernaculorum ideæ, non arctantur ſolùm, ſed & in nihil vaneſcunt. Quàm fœcundam promiſſorum pietatem ſpectamus in Chriſtianis! Alius templa DEO, alius Divis aras ponendas, magna alacritate proclamat, ſed hærent omnia intra *faciamus*. Jam deſcripta futuri operis forma, dimenſa, quæ ferat ædem area, acervi etiam lapidum, & calces ingeminare videntur, inclamatum primò, *faciamus*; ſed qui factum oſtendat, quod facere DEO promiſerat, vix ullus eſt. Adeò pollicitationes humanæ alatæ prorumpunt, executiones plùs quàm teſtudo ſerpunt. Prompti ad tabernacula DEO promittenda ſumus, ſed tardi, & immobiles

les ad erigenda; nè nobis memoriâ excidat, quæ, & quomodo Christo tabernacula ædificemus.

Pro eadem Dominica.

Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum JESUM. Matth. c. 17. v. 8.

QUi in monte Thabor, multiplici spectaculô proximè fruebantur, mox ibidem nihil viderunt præter Jesum. Neque illos cura alia sollicitavit, quàm ut illi adhærerent; Non inquirebant: Quò Moyses, & Elias abiverint? Cur tot sæculorum interstitiô ignotos vultus, tam repentè subduxerint? Abunde scilicet sanctis Apostolis erat, quòd JESUM viderent. Perfacilè enim cogitare poterant: Parùm differre, quòd alio vestitu, & dispare cultu, ab illa gloria, quæ etiam in vestimentis nitebat, immediatè spectaretur, quod comitatu longè alio stipabatur; si idem Christus erat, qui vultum solis æmulum, eclypsavit: cui nives, mortalis speciei radijs liquefacti, in triumphali chlamyde defluxe-

fluxerunt; famulatus, qui à Paradyſo venerat, diſparuit; cum eadem perſona, & dignitas Chriſti, ſuppleret additamenta omnia, quæ defuerunt. Felices oculi, quibus ſatìs eſt JESUM vidiſſe.

Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, niſì ſolum JESUM.

NOn ſimplex, neque in terram dejectus, ſed elevatus oculus eſt, qui nihil videt, præter JESUM: illô ſolô impletur; ſeu adſint, ſeu deſint cætera, quæ perſpicaciſſimo intuitu videre ſe putant, ſolùm videndo JESUM. Nec illud minùs commendat Apoſtolos, quòd in comitatu perſtiterunt, etiam poſtquam ſolitudinem circa Chriſtum viderent; abſceſſit gloria, abſceſſerunt Moyſes, & Elias, ſiluit vox audita de cœlo: *Hic eſt Filius meus dilectus*, nubes quoque lucida in auras abîjt, perſtiterunt Diſcipuli. Prophetæ illi non priùs, aut diuturniùs lateri ſe applicuerunt Chriſti, niſì, cum luminis circumfuſi blanda Majeſtas, & adduceret, & teneret ſpectantes; cùm mons Thaboreus, in honoris theatrum, in ſolium gloriæ, ſuos ſinus, & culmina explicuit:

abſce-

abſcedentem mox lucem, ſecuti ſunt illi felicioris vitæ inquilini, ſed non Apoſtoli. Redîjt ſua ſpecies, & aſperitas naturalis monti, ſed nihil requirebant Apoſtoli manente Chriſto: non illos cedentium exemplum traxit: non ſaltem querelas elicuit, aut cenſendi fecit audaciam; elevati hæc attributa ſunt oculi: cui, utcunque ſe ingerant in obtutum, non vacui, glabríque, ſed gloriâ, Majeſtatéque pleni montes, nihil videt, præter ſolum JESUM.

Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum JESUM.

Cœleſtes etiam comites ad contubernium gloriæ alacres, ſe aſperis, ſe difficillimis ſervare nolunt: ubi lætior ſcena exuitur, illi quoque diſſiliunt. Cur, extinctis ſplendoribus, plenam vilitatem mortalitatis induente Chriſto, & latus ejus non ambiunt Divini Aſſeclæ? Et qui miniſtrabant in luce, cur hâc exſtinctâ, & diſſipatâ, illi quoque magnis licèt luminaribus non impares, occiderunt? Lunæ ſaltem imitationem, quæ poſt ſolis occaſum exoritur, ſui locô in monte Thabor reliquiſſent? Pro-

cul hæ ab Apoſtolis alienos mores diſcutiendi interpretationes ; nobis conſuetæ, fuerunt ; ſat illis erat Chriſtum , ſeu aſſectantium , & admirantium turbâ cinctum , ſeu abſceſſu illorum deſtitutum habuiſſe. Eccui verò maneat pudor deſerendi Chriſtum? Cùm illum ab alijs paſſim,etiam intimis videt deſeri? Tum vel maximè perſiſtendum in comitatu, & lateri illius inhærendum eſt, cùm diffluentes, ad ſpes alias cæteri, ſolitudinem faciunt ; & nobis locum vacuum, gratiâ Domini, & noſtrô obſequiô implendum relinquunt. Indemne dignitati Chriſti eſt, poſt extinctos ſoles, & ſemotum gloriæ apparatum, ſolum videri. Sed ambitioſis per quàm acerbum, ſi ſtipantium ſe vaneſcente pompâ, ejúſque ſpecie, quæ tot impendijs parabatur , ſpectentur ſoli. Inter ſecedentes à DEO, numerentur illi, qui gradum ſuum non tenent ad latus Chriſti: Perſiſte tu. Nemo ſanè templa, nemo tribunal pœnitentiæ adeat ; ſtipem nemo egenis porrigat; tu effice, ut te videat cœlum , beneficia à DEO ſupplici prece devocantem, prenſantem miſericordiæ, & ſacramenti aſylum , ſufficiátque tibi:

bi: ampliſſimum theatrum, actionibus tuis eſſe DEUM præſentem. Augeri dignitas DEI quôcunque additamentô non poteſt, ſeu abſentes, ſeu præſentes alij fuerint; non plus, non minus visô ſolô Deô videbis; in quo etiam illi, qui deſunt, poſſunt videri.

Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, nisì ſolum JESUM.

ORationi, ſeu contemplationi non poteſt felicior promitti ſucceſſus, quàm ſi ſolus in ea JESUS videatur; ſi tunc circumduxerit ad alia oculos, & turbas quæ illum premunt, & in diverſa impellunt, accerſiverit orans; indubiè cæcutiet devotio illius ad videndum JESUM. Ità oculis, ità menti, in templo maximè, dum DEO ſupplices procumbimus, moderemur, ut neminem videamus, nisì ſolum JESUM: quem, etiamſi non in eo comitatu, & gloriæ gradu viderimus, quem in Thabore occupaverat; non erit illi rubori familiari cultu, coram nobis comparere; ſicut enim non illi grave fuit carere contuberniô tam illuſtri virorum, quos, arcanis ſuis in Thabore excipiendis, pares credidit, eóſque in

consortium gloriæ suæ, & intimius consilium adlegit; ità non illi soli fastidium erit, nobiscum versari. Comitatus haud dubiè fuisset peralacer Moyses Christum, etiam Hierosolymam, & impendiô authoritatis, quamcunque apud gentem illam obtinebat, honori JESU militâsset; non segniùs & zelum, & flammas in impios prompsisset Elias, in obsequium, & cultum veri Messiæ obstinatos; sed pusillo, & inermi suorum gregi, restituere se Christus maluit, quàm fulminatrice illa cohorte cingi, quæ in sceleratorum exterminium prosiliret, & Jerosolymam aut igne torreret, aut serpentum morsu enecaret. Non eos authoravit sibi milites, qui fulmina in suos vibrarent hostes, sed qui fulmen Justitiæ Divinæ, ad feriendum, districtum, supplici oratione tenerent. Quàm dispar votum est hominum: qui ad nutum sibi optant Eliæ flammas, quæ infensos illis, subitâ procellâ involvant, & in cineres vertant. Moysis consortiô capiuntur multi, honorum radijs contra vulgi obtutus armati: tenuiorum alloquijs, occursibus, consuetudini, arrogantiam objicientes. Etiam illi, quàm delicato sensu,

ſu, & acerbitate transfiguratores, aut potiùs hiſtriones excipiuntur, quorum vaneſcunt repente ſplendores: radij, quos benignior fortuna circumfuderat, diſparent, purpuræ, byſsíque ſintheſes, vili, & detritâ lacernâ mutantur. Animum in omnes viciſſitudines firmemus.

Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, nisì ſolum JESUM.

COgitemus caſum, ſi nubes illa lucida abdidiſſet Chriſtum ità, ut ſpes illius cernendi non eſſet reliqua: vel ſi Chriſtus, dum ſe in nubem conderet, ità ſuos compellâſſet Apoſtolos: Hic tandem moleſtiarum, quas indies congeritis, terminus erit; non ultra ſuſtinere mihi neceſſe eſt veſtram ad obſequendum duritiam; in ediſcendis, quæ inculco, hebetudinem; ad contentiones promptitudinem, & conſtrictos ambitione, vel in abjecta ſorte animos; jam eminere quæritis, jam ſubſellia, & primas à ſolio curules, non votô ſimplici, ſed diſſidiô prenſatis; eámne in monte gloriæ indignitatem tolerem, quam orbe, & ultimis mundi finibus exeſſe volo, & prorſus

eliminare aggredior? Eliam, & Moyſen viſtis, vultu, & convictu placidos, ab ore meo ſtudiosè pendentes, affectionum inquietarum vacuos: quidquid doctrinæ cœleſtis promo, avidis, non aure tantùm, ſed animo, æſtimatione, amore excipiunt: hos duos mihi addere potiùs, quàm veſtram duodenariam cohortem malo: inſtitutore, & magiſtrô aliô utamini, alium præceptorem quærite; ſacramentô vos, quôcunque adſtricti eſtis, exſolvo: veſtrum locum Elias, & Moyſes implebunt: ſufficient illi, & comitatui meo, & prædicationi Evangelicæ, & inſtitutioni gentium in orbem proferendæ. Hæc ſi vel causâ experiendi ſuorum animos dixiſſet Chriſtus, quos non excitâſſet angores, quos non elicuiſſet fletus? Una vox omnium, unus fuiſſet animus, exclamâſséntque ſuum illud: *Quò ibimus. Verba vitæ æternæ habes.* (*Joh. 3.*) Nè orphanos derelinquas. Quoties peccatorem DEUS ſubducta familiari conſuetudine deſerit; quoties ſolum ſibi, ſuóque conſilio, ſuis deſtinatis, & votis relinquit: Non ille Chriſtum, non Moyſem, non ullum Divorum intuetur; ſe ſolum, ùt quærit, ità & videt, & ſecum

cum innumeram turpitudinem scelerum, & periculorum faraginem habet: sapiúntne damnis tantis peccatores, quærúntne amissum sibi, oculísque suis JESUM? Utinam non repugnent & illis, qui amissum DEUM quærunt amittentibus. Quisquis DEO amissum te vides, idem tibi esse, carere Christo, quod perire scias, tandémque sapias: & si te DEUS vicinum sibi, & cordi suo tenet, tu quoque DEUM tene; nihílque oculos, & cor tuum videre sinas, nisi solum JESUM.

Dominica III. Quadragesimæ.

Erat JESUS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum, Lucæ 11. c. v. 14.

Efficax, & metuenda Christi manus cuicunque dæmonum differentiæ. Seu mutus, seu garrulus sit dæmon, ad nutum Christi fugit, & in anima humana locum, quem invaserat, relinquit. Non tamen eam in se experitur impatientiam importunus spiritus, apud quos non se advenam, sed incolam, dissimulante patre familias, profitetur, Irrumpit apud plerosque, vanita-

nitate inanem animam, tanquam ſibi paratam ſedem dæmon ſuperbiæ, contumaciæ, luxuriæ ſpiritus; degunt apud energumenos ſuos, qui ſinunt ſibi manſionem quietam eſſe, nec enim ipſi ſciunt, aut volunt; nec Chriſto ſupplicant, ut familiares illis ſpiritus malignos, verbô, & manu potente, ab inſeſſis cubilibus exturbet: quaſi neſcirent, quòd ſi uni dæmoni pateat animus, quàm atroces ille turbas, & tumultus excitet: quid ſi agminatim ſe conferant plures, & pro ſuo quiſque ingenio exſerat nocendi, & in quodvis impingendi libidinem: quas non illi verborum obſcænitates ructabunt, propellent ab ore ſpumas, cui turpiſſima Venus innatet? Quò diſtendent faſtu turgidos? Quoties miſeros in concupiſcentiæ jactabunt flammas? Quô furore diſcerpent iracundos, contorquente oculos, ſuccutiente tremore membra, ſtridore dentium intercidente voces, aſpectui fulgura, ſermoni rugitus, commutante iracundia? O! quantum calamitatum imminet illi, quem inſedit dæmon, ſecurus, quem à ſua ſtatione perturbat nemo.

Erat

Erat JESUS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.

SEnſus hominis immortificati, impetus animi, & cupiditates, latibula ſunt dæmoniorum: quæ nisì diruta fuerint, vix reperiri in eis latitans dæmonium poterit, ab Exorciſta ejiciendum; quære diligenter acuta falce, mortiferos in venenata herba ſerpentes, & buſones, genimina viperarum, à ſuis luſtris detrahe; detracta procul extra hortum ejice; ejecta deinceps recipere ſtudioſiſſimè cave. Ad illum enim extirpandum dæmonem, & alacritatis, & animi habet plurimùm Chriſtus, cui reditum anima, invictâ firmitate obſtruit: ægrè verò impendit operam illi fugando dæmonio, quod, ſi exigitur hodiè à domicilio ſuo, cras aditus patentes invenit. Scit enim perinde eſſe, ut dæmon inſeſſu continuo premat animum, atque ſi regreſſu libero, jus dominij ſibi firmet, quòd oppoſitio nulla interpellat. Non perſuaſione, non petitione, ſed imperiô uſus eſt Chriſtus, in ejiciendo dæmone. Unde colligi poteſt, præfracta contumacia dæmonis, cui mo-

vendo ab occupata ſtatione, vis imperij divini adhiberi, neque aliô, quàm Chriſti ore expreſſa debuit. Conatus aliorum, etiam qui ſe Chriſti armabant nomine, ceciderunt irriti, ſolius Chriſti vis, & authoritas, fregit pertinaciam dæmonis. Non novum eſt, tales energumenos, talia dæmonia reperiri in hominibus, quæ nulli cedant, nisì ſentiant divinæ manûs, non ordinariæ, impreſſionem; hoc eſt: adeò obſtinata hominum reperitur malitia; adeò obfirmatum ſcelus; ut non nisì magnô gratiæ divinæ auxiliô expugnatum, pœnitentiam admittat, & virtutis ſtudium.

Erat JESUS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.

OMne genus dæmoniorum, nullum excipiendo, proturbat ex anima noſtra Chriſtus, nos, utì perſonas hominum, ità & differentias dæmonum reſpicimus: aliquos dæmones propulſamus à nobis ſinè mora; aliquos annorum canitie aſperſos humaniſſima civilitate fovemus. Tales ego dæmones, regnorum, aularúmque genios, non immeritò dicerem; quorum tanta ubi-

ubique in permanendo ſecuritas eſt , ut contra eos neque halitare, neque ſpuere incantatori liceat. Dæmonia iſta , quibus pridem totus agitatur orbis , quamcunque nationem inſederint , in honore ſunt apud omnes, habentúrque pro ſuis. Geniô ſæculi , & domeſticô dæmoniô illi vexantur , qui famam ſibi comparare geſtiunt , pacis publicæ , virtutíſque ſuæ jacturâ. Clari enim , cùm eſſe non poſſint , nisì turbidi fuerint , nocere potiùs eligunt , quàm eſſe ignobiles , ut ad poſteros tranſeant glorioſi. Pari geniô corripitur , & corrumpitur nobilium etiam , quandoque fæminarum ſexus , quæ meretricijs amoribus maculant ſuam ſtirpem ; non voluptate aliqua ductæ , ſed timore ; nè ſi Amaſios non habeant , deformes videantur. Quid ſi à ſpeculo , ad arma amorum, ſimul & armorum, acres Deæ, cervicoſæque Amazones tubis muliebrium geniorum accitæ proſiliant ? Quis tandem bellorum in hac feraciſſima pugnarum ætate, exitus ſperandus ? O! quàm horrere debemus exitialem dæmoniorum tam malignorum incurſum , multóque magìs execrari , nè dum prenſant hoſpitium , in ani-

animam, hoſtes admiſſi, arcem ibi ſuæ tyrannidis ſtabiliant. Conſueſcamus dæmonem, quicunque irrepſerit, exturbare protinus, nunquam reconciliari pulſo, aut locũ blandienti, per veteris memoriam conſuetudinis permittere. Eam utinam legem in ejiciendo dæmone ſuo præcipuè geniali, unusquiſque haberet, quam Chriſtus formam habuit. Precibus nonnulli agunt, rogántque dæmonem, alij minis terrent, alij ſuadent, ut abſcedat; ſed optimè illi amoliuntur dæmonium, qui exturbant. Alijs forſan nec alacritas eſt ad petendum, nec animus ad terrendum, multò minùs ad ejiciendum dæmonem, ideo illis cohæret.

Erat JESUS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.

EVangeliſta refert, quòd JESUS ejiceret dæmonium mutum: unde diſcendum nobis venit, quòd etiam ſilenti, etiam ad quietem compoſito dæmoni, malè creditur. Non exerat ſanè furorem, dæmon tamen eſt, vel in ipſo nominis ſui vocabulo metuendus: furorem cùm diſſimulat, hôc ipsô ſtratagemate ordinat, ut certiore dein exi-

exitiô erumpat. Non movet arma, sed parat; non jacit tela, sed tendit, & animum nocendi certum, in occasionum opportuna momenta reservat. Truculentior illa canum rabies, quæ ante latratus, & nudatorum dentium minas, infigit morsus, & lacerat, antequam se fecisset hirriendo metuendam. Quòd dæmon ille, antequam vis admota illi, & antequam cœpit ejici, mutus esset; hoc minimè mirum, illud perrarum, quòd etiam, dum pelleretur, mutus perstiterit. Vix enim reperias dæmonem, qui, si promantur in illum exorcismi, in pellentem se, furore toto non eat. Christum quoque, dum alios dæmones à corporibus humanis pelleret, clamoribus dissonis ausi impetere, quærelis strepere, importunas laudes ingerere, illúdque proclamare: *Venisti ante tempus perdere nos*. *Mar.1.v.24*. Metuendus præ alijs est ille dæmon, qui tranquillô delitescit otiô, & silet, si sacro carmine, aut lustrali aquâ petatur, si non lacessitus sinatur: mox ubi suis cubilibus exigi cœperit, solvit protinus lingvæ vinculum, verbáque illi post longum silentium superfluunt. Diducit in probra, & maledicta os, strepit contu-

me-

melijs, ſtridet dentibus, & conceptam animô tempeſtatem in Exorciſtam exonerat. Cùm tamen maximè tunc convenit dæmonem eſſe mutum, dum actu expellitur. Interdum ſilet, & mutum ſe fingit, etiam Exorciſtâ præſente; ſi ad manum habet illos, qui pro illo perorent: neque enim dæmoniaci, & ipſorum dæmones, tam inimica omnia experiuntur in mundo, ut perfugium non inveniant, & patronos.

Erat JESUS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.

INfeliciſſima viciſſitudo, & noſtrorum infamia, ac labes temporum eſt. Olim Chriſtus ejiciebat dæmonem: nunc Chriſtum dæmon pellit; ejicitur Chriſtus ab anima, cui ſe inſpiraverat; à cogitatione, quam implebat; ab amore, quem conſecraverat; ab altaribus ipſis, & templis, quæ auguſta, & ſancta reddiderat: & quòcunque tantùm inſerere ſe dæmon poteſt, inde Chriſtum ejicit; Arca olim Dagonem, non Dagon Arcam ab altari deturbavit. Heu introſpice tuæ ſenſum animæ peccator: etiámne in illa, præpoſtera hæc rerum facies?

cies? Quoties apud te JESUS cedere locum debuit Sathanæ? Quoties animos contra Christum, addidisti dæmoni? Quoties illius dissimulando furores, accendis? Et dæmoni, ad Christum apud te oppugnandum, præis? Illum hortari audes, ut à te Christum ejiciat? Heu! quantum ruboris, doloris, detestationis materiam habes, si te scelere tanto obligâsti, vel illi affinis es! Cooperare potiùs Christo, ad pellendum à te dæmonem: scrutare illum in abditissimis recessibus cordis latentem; quisquis demum ille dæmon fuerit, extrahe; reluctantem protrude; resistentem impelle; ut, cùm Christus pervivaci hosti à te mandabit fugam, tu quoque exorcismi hujus, & fugati dæmonis laudem, aliqua ex parte merearis.

Pro eadem Dominica.

Revertar in domum meam, unde exivi. Lucæ II. v. 25.

STulta dæmonis arrogantia, & præsumptuosa libido, usurpandi aliena: domum ille nec pretiô comparavit, nec struxit, suam

ſuam tamen appellat; pæcisè ideò, quòd hanc aliquando ſubiêrit. Adeò, quò ſemel dæmon intraverit, ſuum ſe ibi domicilium habere credit: ſemel animam, cogitationem, vel affectum ingreſſus, ſuam eſſe proclamat animam, ſuos affectus, cogitationes ſuas. Magna hæc injuria, ſed praxis dæmonum non obvia, ut in poſſeſſionem ejus tranſeat, quò vel ſemel aditus illi patuit. Quid ſi alicubi continuatâ manſione, familiaris evadat? Imperium ibi exerceat? Et non interrupto incolatu, ſuum jus, dominiúmque defendat? Quid ſi aliquid poſſeſſore vacuum, veluti hæreditatem caducam inveniat? Quid ſi caſulam aliquam, domicilio alieno adſtruat? Aut injuſti lucri pretiô, aut obſcæna voluptate emat? Quàm ferociùs, & inſolentiùs oggeret ſuam eſſe, dicétque tumidus: *Revertar in domum meam.* Videamus, nè quid in nobis ſit, quod dæmon poſſit dicere, ſuum eſſe. Videamus, quomodo refellemus uſurpationem hanc, ſi animam, & cor noſtrum ſibi aſſerat, & jactet ſua eſſe, quæcunque nos dicimus noſtra; ſi pecuniam noſtram, dicat eſſe ſuam; facultates noſtras, contendat eſſe

esse suas ; titulorum, & honorum nostrorum insignia, primos cubiculorum nostrorum recessus, abdita cubilium, audacter dicat esse sua, & quidquid est, quo nos aut magnos, aut beatos putabimus, evincere velit, hæc omnia esse sua? Curemus perstudiosè, nè jure dicat unquam dæmon, apud nos aliquid suum esse.

Revertar in domum meam, unde exivi.

NIhil metuit malignus spiritus, nè suâ spe devius, destinatum iter non teneat; non enim facilè ille exerrat à tramite ad domum, quam vel semel adîjt. Dirimant sanè illum vastæ solitudines, inter, jaceant latè fusa maria; totus, licèt immensô ambitu, circumcurrendus sit orbis; perplexitas quæcunque viarum, nec memoriam, nec alacritatem confundent dæmonis, reditum in domum, in qua olim commoratus est, anhelantis. Longè certè promptior illi reditus erit, quàm abitus fuit. Antequam ille domô, quam occupavit, abscedat, cunctatur, hæret, & ambiguus distrahitur; hinc illum obstinatione suâ, ad obtinendam stationem defigente, inde majore vi propellen-

te commoditate, ad non cædendum; ubi verò in reditum ſpes, & occaſio affulſit, hanc arripit citatiſſimè, cùm dicit: *Revertar*, minimè fallit; ſed cum migraturum ſe promittit, aut ſerò admodum, aut vix unquam abibit, quàm enim ad emigrandum difficilis, tam promptus eſt ad redeundum dæmon. Illius, an aliena domus fuerit, nihil penſi habet: ſi exceſſit inde, deſideriô reditûs ardebit.

Revertar in domum meam, unde exivi.

QUid eſt, quòd domum habere dæmon cupit? Tempeſtatéſne metuit, quas tectò propulſet? Aut contra pluviam, vel hyemantis, aut fortè æſtuantis aëris injurias receptum quærit? Quid item eſt, quòd domum ſuam propriam velit eſſe; & quod incommodum imminet illi, ſi in aliena degat dæmon? Si ſuam tantopere domum obtinere appetit, cur hanc ultro deſeruit? Evangelium enim, quod nobis hunc deſcribit dæmonem, non meminit à quopiam motum ſuâ domô fuiſſe. Nisì fortè nota dæmonis arrogantia non patiatur, ut cuipiam ſubjectus ſit, ut in meritorio habitet.

Præ-

Præesse ille, & suô ducere arbitriô vult omnia, ubicunque habitat. Perinde illi domô, atque defluente tectorum stillicidiô excipi, quàm dominatui suo in penetralibus amplissimis non omnia subjici.

Revertar in domum meam, unde exivi.

DOmum potiùs eligit, quàm castra, aut horreum dæmon: forsitan, quòd in domo mensam, & lectum, ac pulvinos nancisci possit; mensæ, & lecti desideriô domum habere poscit. Cui lectum non componit lascivia, luxus, & intemperantia, domum non instruit, nec dæmoni operæ pretium videbitur, domicilium apud eum figere, vel domum illius usurpare. Ubi lectum sui juris Sathan habuerit, etiam domum habebit. Ultro ille domum, quam insederat, deseruit; quia illi certum erat, accessum deinde facilem fore, & tam promptum esse redire, quàm egredi. Nè simile apud quempiam diversorium habeat dæmon, caveat diligenter: nam toties reducem sentiet, quoties abîerit. Neque desinet unquam jactare, suam apud illum esse domum, suam esse, sibíque fumare culi-

nam, ſuas cellas, & promptuaria, quæ perpeti incolit ſtatione, abſque eis nè latum ungvem diſcedit; aut ſaltem quibus egredi, & ingredi, liberum eſt illi, quotieſcunque voluerit.

Revertar in domum meam, unde exivi.

NOn ut admittatur, útque ſibi pandatur janua, oraturum ſe dæmon, ſed præcisè rediturum, intraturúmque promittit; ars dæmonis iſta eſt: non ſibi pandi fores poſcere, nè ex voce, quòd ſit dæmon, agnoſcatur, ſed clam inſtare. Occupandæ citò domûs, hoc totum illius artificium eſt: quis ſit, & quid velit, nemini aperire, & præcipuè præfecto domûs, & cuſtodi januæ. Plùs doli, & malignitatis habet dæmon, qui revertitur, nemine ex domeſticis conſciô; quàm qui ante introitum in concupitas ædes, fores pulſat, & pulſando, ſi non excubiatorem domûs, ſaltem canem in veſtibulo portæ alligatum, excitat. Cavendi valde ſunt dæmones, qui januam non pulſant, & domum intrant.

Pro

Pro eadem Dominica.

Invenit eam ſcopis mundatam, & ornatam, & introducit ſeptem ſpiritus, nequiores ſe. Lucæ 11. v. 25.

AB uno antea dæmone inhabitatam domum, ſeptem accedentibus plenam, Evangeliſta refert: cui turbæ octavus additur, qui pauliſper abîerat; improbus, haud dubium, ille, qui ſpatiatum prodîerat, ſed qui turmatim invadunt domum, multis partibus præcellunt malignitate. Immundus ille ſpiritus dicitur, ſed quilibet horum ſeptem, propriâ turpitudine horridior, temerâſſet utique, & execrandam feciſſet domum incolendo, unicus dæmon; cur ergo refarcitur tot dæmonijs, tot inceſtatur ſceleribus, quæ ſunt ſupellex immigrantium dæmonum? Alius ex immundis hoſpitibus infert ingluviem, ſuperbiam alius, comes alteri avaritia, alteri faſtus, & ambitio; omnibus tamen indiviſa, & intimè adhærens turpitudo obſcœna eſt, quæ omnibus ſe nequitijs, ſuo infami viſco affigit, & vel ſatellitium ex alijs ſceleribus compo-

nit libidinis ardor; vel alia, tanquam incensor præit. Imò utcunque se ab alia cohorte nefaria sejunxerit dæmon, qui libidinis cœnum subjectat, solitarius vix erit, sed habebit multiplices nequitiæ asseclas; alium qui thoros maritales perrumpat, alium qui contumeliâ turpissimâ incestet naturæ jura, recludet tertius immundis aspectibus oculos, spumâ perfundet Veneris lingvam quartus, petulantibus, & spurcis alloquijs aperiet quintus aures, enitetur ad caput sextus, & illuc impudicarum imaginum, & cogitationum agmina inducet. Ultimus animi, & cordis claustra rescindet, & profano amore subjugabit. Scelus omne fugiendum, sed impudicitia quàm maximè; nam hæc dæmonem semper habet contubernalem, qui, si parum nequam sit, obligat eum, ut asciscat, quotquot poterit, nequiores se.

Invenit eam scopis mundatam, & ornatam, & introducit septem spiritus, nequiores se.

DÆmones illi septem, ab Evangelio dicuntur nequiores illô, qui priùs hominem,

nem, domúmque illius habuerat; & meritò: nam ad ſingula flagitia, dæmon ſemper nocentior, ſemper malitioſior hominem adit. Pertrahitur ſemel in ſcelus homo, dæmonem nequam intrâſſe domum illius, palam eſt. Si iterat ſecundò, & tertiò nefas, truculentior, & ſceleratior dæmon ingreſſus eſt; ùt enim per ſingula flagitia evadit homo flagitioſior, ſic & dæmon; per eosdem enim perverſitatis gradus, peccator, & dæmon, in criminum turpitudinem ruunt: quâ admiſsâ labe, utì perditus homo eſt, ità perditus & dæmon erit. Mox auctô piaculô, uterque pariter augmentô deteſtabilis eſt. Sic peccatorum, & dæmonum idem ordo. Quicunque tibi peccati conſcius es, fatere, dæmonem apud te, unà tecum eſſe, nè ignores; ſed ad quam malignorum ſpirituum claſſem, hic tuus contubernalis pertineat; ſi neſcis, ex vitij, quô teneris, turpitudine, & malitia collige: quantum malitiæ peccato tuo ineſt, tantum & dæmon habet. Malitiam verò peccati, etiam numerô creſcere non dubita: ùt enim ab unitate aſcendentes numeri, continuò ſe ſuperant, & inferioribus plus ſemper ad-

 dunt,

dunt, ità peccata, dum perpetrantur pluries, & præteritam malignitatem colligunt, nè præterita ſit, & adjiciunt novum indignitatis pondus, quô creſcant; vel ipsâ frequentationis morâ, ſcelus robuſtius eſt. Uſus, & facilitas patrandi malum, pudori viam obſtruit, & delinquendi diuturnitas efficit, ut non cupiditate tantùm, ſed & conſiliô inclinare videamur in dedecus. Neque enim temerè factum nefas creditur, quod ſæpe fit. Nequiorem ergo dæmonem cum peccato introîſſe ad te ſcias, ſi hoc non primum, ſed repetitum pluries eſt. Septimi peccati malitiam non primus dæmon adducit, verùm ſeptimus. Natura ſua probabiliter dæmonibus inter ſe numerum, & ordinem dedit; malitiæ gradum, & ordinem habent, à peccatorum diverſa malitia, quam inducunt. Virtus una, tibi gradus ſit ad aliam, non ab uno ſcelere ad aliud connitaris, & ut virtutes eminentiores, ſic & te ipſum meliorem, ſanctiorémque efficies,

In-

Invenit eam scopis mundatam, & ornatam, & introducit septem spiritus, nequiores se.

NOtatur ab Evangelio, ùt primùm domus mundata, ornata, & composita est, mox plures convenisse eò dæmones, primo dæmone maligniores. Indignati forsitan posteriores spiritus videntur priori, quòd domus, quam suam dicebat, mundaretur, & ornaretur. Sit sanè hoc, vel contrarium: id quidem contingere videmus, ut deformem domum, spiritus malignus incolat, sed ornatam malignior, si illam deoccupet; vel clariùs ut loquamur: non perinde noxius, & sævus dæmon est in illis, quorum propudiosa vivendi consuetudo fædavit animam, atque in illis truculentus evadit, qui post cultum virtutum, & sanctitatis studium lapsi, in dæmonis stationem cesserunt. Squalidam, & horridam sordibus ædem, unus facilè tuetur dæmon, & pro arbitrio, vel deserit eam, vel adit. In splendida, & ornata domo, plures excubant, sibíque in statione pervigili succedunt per orbem, nè custodiam unquam intermittant.

Si integer adhuc es à peccati labe, ſollicitè cura, nè ſacram, & ornatam animæ ædem, peccatum temeret, & immundis ſpiritibus, velut claſſicô det ſignum, qui totis agminibus convolabunt; ſi proſtare ſibi domum ornatam intellexerint, irrumpent cupidiſſimè, & malignum ſemper ſequetur malignior dæmon, certaménque hoc unum illis erit, ut domum hanc tantò fædent indigniùs, quantò DEO fuerat magìs ſacra, & magìs grata.

Invenit eam ſcopis mundatam, & ornatam, & introducit ſeptem ſpiritus, nequiores ſe.

Cùm pro tota domo, & familia etiam maxima, unus dæmon abunde ſufficit, cur ad eam confluunt multi? Nî fallor ideo, ut quæ cum uno dæmone domus dicebatur, cum multis dæmonibus nō ampliùs domus vocetur, ſed infernus. Nec opus eſt, ut domus illa ſit ampla, & vaſta, ex qua infernus confici poſſit: anguſtiſſima quæque ædicula magalijs villanorum turbidè ſtructis non abſimilis, par inferno, aut major erit, ſi ad eam dæmonum multitudo convolaverit.

Invenit eam ſcopis mundatam, & ornatam, & introducit ſeptem ſpiritus, nequiores ſe.

NEquam ſpiritus, non ſibi pares in nequitia adoptavit ad contubernium ſocios, ſed nequiores ſe, adduxit; hac ſolâ exiſtimo ratione, quia ſpiritus immundus fuit. Cætera enim vitia uno dæmone contenta ſunt: libido pluribus opus habet. Nequiores ſe immundus ſpiritus aſſeclas ducit, ut varietate flagitiorum domeſticis ſuis placere magìs poſſit. Omnes iſti cum ſuo duce immundo, ijsdem ſcopis, quibus mundata eſt domus, facillimè poſſunt expelli, & everri. Satage, impetrare à DEO, nè eam unquam calamitatem experiaris, ut animæ tuæ pulchritudo, neque unius, neque plurium dæmonum concurſu temeretur.

Pro eadem Dominica.

Cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus.
Lucæ 11. v. 14.

QUamdiu energumenum poſſedit dæmon, nihil omnino locutus eſt, nec obſer-

obſervatum, aut auditum ulli, ut vel in Superos prece adorandos, vel in cujuſquam alloquium, vocem ſolverit. Quid obfuit, nè loqueretur dæmoniacus, licèt dæmon mutus eſſet? Ut hic inhiberet arreptitij lingvam, neceſſitas videtur nulla, &, cùm functiones alias vitæ congruas non interceperit, quid ità ſermonem eripuit? Si homo ille dæmone compeditus, ſapientiæ, vel diſciplinæ alicujus interpres fuit, cur diſſerere, & diſceptare in publicis experimentis non poterat, vel non audebat? Aut, ſi fortè juris conſultus fuit, cur rerum in judicijs periclitantium, patronum ſe non obtulit? Sed ea ſors hujuſmodi fanaticorum eſt, ut in ſui, à quo poſſidentur, dæmonis ingeniũ, & mores tranſeant, cum impuro, & laſcivo dæmone, illi quoque laſciviunt, cum muto obmuteſcunt: indolem obſidentis dæmonis, obſeſſus homo belliſſimè exprimit, ſpectaríque bene, in ſuo arreptitio dæmon poteſt, licèt de ſe inviſibilis; effingit dæmonis genium dæmoniacus, omni picturâ meliùs, & vitâ, moribúſque ſuis luculenter oſtendit, & exprimit. Hinc eſt, quòd, ſi dæmon obſcœnis ſermonibus amat ſtrepere, etiam dæ-

dæmoniaco quilibet ſermo, venereâ turpitudine fluit; ſi delectet dæmonem, brutô ſe abdere ſilentiô, condiſcent idem facilè dæmoniaci, & os illis firmabunt repagulis, quæ nec conſcientiæ vim facientes pulſus perfringant, nec pandendorum criminum neceſſitas, Sacramenti etiam admota religione amoliatur.

Cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus.

PRotinus locutus eſt mutus, ùt primùm ab illo Chriſtus dæmonem ejecit: non dæmonem igitur ſolum depulit, ſed & lingvæ torporem, in continuam taciturnitatem induratum abegit, & abeuntem dæmonem ſequi juſſit. Nobis forſan non ille eſt dæmones pellendi modus, ut ſimul cum dæmone abſcedant peſtes, quas animo intulit: ſed indomita illius taciturnitas apud nos ſubſtitit; hæret ſuperbia, licèt ceſſerit aliquantùm ſuperbus dæmon; ſic verò dæmoni redituro, non illicium tantùm, ſed & jus ſubnaſcitur, ad ſuúmque faſtum tumidus dæmon, ad ſuam turpitudinem ſpiritus immundus revertitur. Ejicit per ſacram exomologeſim peccator, libidinum miniſtrum dæ-

dæmonem, ejiciat & libidinum imagines, amoliatur & visco voluptatis agglutinatas affectiones, cogitationes per lubricum obscænitatis lapsantes, occasionum fomenta irritantia cupidineas faces. Nihil futile, & arrogans ex modesta demissionis Christianæ lege sonabit lingva illius, non sermones impuritatem redolebunt, si pulsô arrogante dæmone, & lascivô, superbiam quoque, & lasciviam à se proturbaverit: aliàs fugiente immundo spiritu, & non fugatâ immunditiâ, sermo eodem, ùt ante, cænô aspergetur.

Cùm ejecisset dæmonium, locutus est mutus.

QUid locutus fuerit mutus, non constat: certum tamen, nihil ejusmodi locutum fuisse, quod pulsum dæmonem revocaret. Non infrequens est, vindicatos à dæmone, illis primùm sanitatem receptam experiri verbis, quæ dæmonem in reditum attrahant. Et sæpe quot voces post excussum dæmonem proferuntur, tot invitationes, ad sedem repetendam maligno hosti exhibentur. Eum in loquendo, post abactum dæmonem, teneamus modum; ut verba nostra,

ſtra, fulminis inſtar, percellant dæmonem, & procul pellant à nobis. Etiam poſtquam abierit ab obſeſſo dæmon, obſervat, & auſcultat loquentem, & ex verbis opportunitatem ad redeundum, ſi collegit, ſinè omni cunctatione regreditur, & ſi ad arcem animi pervadere non poteſt, ori ſe, tanquam oſtio illigat, indéque inobſervatus, facilè perrepit ad interiora.

Cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus.

A Muto dæmonio expeditus homo, nihil utiliùs loqui poterat illis, qui intererant exorciſmo, quàm ſi exactè retuliſſet, quibus lingvam illius vinculis, hoſtis malignus adſtrinxerat, quoties propitiatorium pænitentiæ accedentem, vetuit patrata ſcelera fateri; qualenam, luctanti inter pudorem, lingvæ frænum addidit, nè ebrietates, rapinas, impudicitias loqueretur. Perſtet, licèt dæmon mutus eſſe, & maligniſſimè in ſilentio ſuo obſtinatus, ſed qui excuſſit dæmonem, vel excutere parat, in confeſſione nè ſileat, & ante omnia id exprimat, quomodo compediverit nequam ſpiritus lingvam illius. Quòd ſi neque hoc eloqui potuerit, oſten-

oſtendat digitô, & anhelô ſaltem ſpiritu ſacerdoti, os ſibi frænatum à dæmone, & injectam, fortitérque peſſulam applicatam labijs. Et reverâ, ſi, poſtquam loqui incipiunt muti, eam inter ſe materiam ſererent, confeſſariiſque per ſigna ſaltem, & indicia, eam communicare vellent, profectò etiam nondum abſcedente ab illis muto dæmone, deſinerent eſſe ibi, ubi maximè eſt loquendum, ſacrilegè muti; nihil difficiliùs apud pœnitentes, quàm os, dæmoniô clauſum, reſerare.

Cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus.

ENergumeno dæmon non aliam functionem vitæ ademit, præter loquelam; non illi uſum oculorum eripuit, non pedes obtruncavit, ſed ſolùm præcisè lingvam vincivit. Ambulabat dæmoniacus, quò volebat, varias pro ſuo libitu, etiam ſacrarum imaginum, & Chriſti crucifixi tabellas videre fas illi fuit, concionatores, & colloquia ſpiritualia non ſurdis auribus excepit, labore manuali otia diſtraxit, lingvæ tantùm officiô privatus fuit. An non idcirco? Nè, quæ totô corpore mala patrabantur ab eo,

eo, beneficiô lingvæ eluerentur in confessione. Dum enim cætera membra peccant, lingva accusando delicta excusat, condemnando absolvit.

Pro eadem Dominica.

Locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Luc. 11. v. 14.

TRia consideranda occurrunt in restituenda muto facultate loquendi; primò: An non id ad loquendum propulerat mutum, quòd paratam admirationi plebem, & multitudinem audientium observaverit, plausuram novitati, si hucusque elingvis loqueretur? Neque enim pauci sunt, qui nullum sibi excidere verbum patiuntur, nisì turba miratrix adsit, obstinatè premunt vocem, nisì dentium acumen, orationis nitor, copia, & suavitas sermonis, acclamationibus audientium celebretur. Hôc unicô vanitatis pretiô non parcunt lingvæ, & si placuerint plebi, sibi placent; si facundiæ laudem ab opinione vulgi tulerint, abunde se beatos credunt; & licèt deformia mendacia cõgesserint, si volubilitate lingvæ di-

disertos se probaverint, abunde sibi opinione etiam imperitorum, satisfactum putant, & ad capitolium gloriæ se evectos ab admiratoribus suis credunt, circumsonante sibi illo solenni carmine: *Nunquam sic locutus est homo. Joh. 7. c.* Cùm tamen veriùs dici deberet; nunquam sic mentitus est homo. Alterum in eodem facto discutiendum venit: quid vulgus illud miratum sit: Idne, quòd dæmon deseruerit mutum? an quòd mutus locutus sit? Admirationem meretur utrumque: tam enim insólitum, & stupendum est, cùm dæmon possessum relinquit, quàm cùm loquela dæmoniaco redit, qui mutus fuit. Non raró enim pulsusdæmon intercidit loquendi usum relictis à se energumenis, prohibétque minaciter, nè sua propalent secreta, virúsque delictorum per lingvam ejiciant, & habet obsequentes sibi non paucos, quibus nefariam taciturnitatem, locô sui relinquit. Si dæmonem mutum proscripsisti, proscribe exitiale silentium. Tertiò adverti potest: non id confertæ plebi admirationem movisse, quòd Christus dæmonem ejecerit, sed quòd mutum audirent loquentem. Quàm imperita vulgi æstimatio,

tio, lingvam potiùs muti, quàm Omnipotentis vim dexteræ, in Chriſto ſtupere, quæ beneficia plura, & miracula, in uno conjunxit. Diſce opera divina admirari, & nè admirationem ad vulgi ſenſum, & rumorem accommodes.

Locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

AD ſpectandum energumenum ſubitò multitudo affluxit, ubi pellendo dæmonio operam dare JESUS cœpit. Faciliùs ſcilicet catervas hominum cogit, & attrahit dæmon, quàm aliquis Genius ſalutaris. Non mirabuntur illi toties viſum arreptitium illum, quàm diu à ſuo inſidebatur tyranno, etſi ſtupenda eſſet carnificina miſeri illius, contorta membra, truces oculi, frons torvè rugata minis, totiúſque corporis tremor viſum, & miſerationem ſollicitare poterant in ſpectatoribus. Non primùm tamen hæc omnia impulerunt turbam ad concurſum, & admirationem, quàm dæmon relegatus fuerit. Potior illis viſa admirationis materia, homo dæmone vacuus, quàm ab illo poſſeſſus. Et certè excire magnas admiran-

tium catervas poteſt, quiſquis nullô dæmone tenetur.

Locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

ELudit etiam ſacerrimos exorciſmos dæmon, qui loquente jam muto, poſtquam exeſſe creditus eſt, hæſit, & ſe in ipſa muti locutione profundiùs abdidit, tectior, non mitior factus illi, quem inſedit. Permittit ſubinde non garrire tantùm, ſed etiam cantare pſalmodiam energumeno, ut pſallenti illudat turpiùs, quàm tacenti illuſit. Indulget illi ſera, ſeriáque cum moderatoribus conſcientiæ, de cœlo, de juſtificatione impij, pœníſque inferorum colloquia, in confeſſionibus prolixiores delictorum recenſere hiſtorias, non vitio vertit, ſed ſicut in novacula acuta, ità & in lingva pœnitentium dolum facit, multis, faſtidiô nauſeæ, commovet ad vomitum conſcientiæ ſtomachum, operam daturus, ut reſtauratâ flagitiorum orexi, quam videbantur amiſiſſe, reſorbeant, more canum, non ſinè guſtu, abominationes, quas egeſſerunt.

Locu-

Locutus eſt mutus , & admiratæ ſunt turbæ.

ADmiratæ ſunt mutum turbæ, poterat & ille forſan pleroſque ex illa multitudine mirari; quid ſi complures vidit, quorum effrenem lingvam noverat? Cogitare potuit, meritos toties, ut vinciretur à dæmone lingva eorum, quemadmodum ſua religata fuit, quòd à muto dæmone poſſideretur: admirandi potiùs multi videntur, qui lingvam in propudia ſermonis laxant, & malignitate oris dæmonium mutum ſuperant, & illius ad quidvis patrandum audaciam æquant. Præſtat dæmoniacum eſſe taciturnum, quàm immunem à dæmonio muto, impudicè loqui. Quòd in poteſtatem dæmonis nondum venerint ſpurciſſimi oris blaterones, benignitatem agnoſcant divinam. Cæterùm extenſam jam vindicis DEI manum ſciant eſſe, ad accludendum os patens, loquentium abſurda. Aderit matura pœna, quam incontinentiſſima labia accerſere nō ceſſant. Lingva læſæ honeſtatis rea, etiamſi in dæmonis muti poteſtatem veniat, vix ſe continere poterit à laſcivia verboſa.

Locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.

IN cujus ore opportunum magis pro se diversorium viderit, & adamaverit dæmon, illud libentiùs intrat, non ut lingvam vinciat, sed ut patentiùs fores aperiat, ad obscænam sermocinantium luxuriem. Non insuetum quoque dæmoni, aliam ex alia lingvam invisere, observando, quænam usibus suis commodior, & tractabilior reperiatur. Absit, ut eam hosti libertatem indulgeamus: ut ab alieno ore ad nostrum, licenter commeet. Videt aliquando dæmon os hominis in suillum deformari rostrum, cœnô, & fæditatibus oppletum, grunnitu stridoris inconcinnum, salacis apri spumas volutans; quô visô, cupidissimè exclamat: *Mitte nos in porcos. Marc. 5. c.* Occupari os humanum à dæmone, infelicitas est, omnium porcorum sordibus fætidior. Vix nutu annuentis Christi editô, gregem porcorum dæmones invaserant, cùm omnes in Oceani fluctus præcipites egerunt, & suffocârunt aquis universos. In hominem quem arripit, fævit atrociùs, & immanis dæmon, sed in porcos nihil

nihil est, quod non depromat truculentiæ. Parum habet, ut compediat, sed in gurgites impellit invadabiles, & demergit; eluere sordes illorum aliter nolens, nisì ità, nè ullis ampliùs sit locus exorcismis. Væ illis, quos ità arripit dæmon, ut illis non sit ampliùs opus lavari nitro, & herba borith. Tunc demum mirabuntur turbæ, cùm & lutulentis porcis grunnire, & hominibus mutis, totiésque exorcisatis, nunquam ampliùs loqui fas erit.

Dominica IV. Quadragesimæ.

Unde ememus panes, ut manducent hi? Joan. 6. c. v. 5.

MAgnâ diligentiâ Christus panem quæsivit hominibus illis, qui neque vineam illius excoluerant, neq; invitati ad manducandum convenerunt; non etiam isti de numero illorum erant, quibus aliàs timebat DEI Filius, nè deficerent in via, quos è longinquo desiderium, Christi audiendi traxerat, & triduô, vel sinè alio cibo, vel de suo, ægrè sustentatos detinuerat. Hi, quorum mentionem præsens Evangelium facit, eodem

dem die venerant, forsitan eodem quoque abituri à Christo: illorum tamen pane reficiendorum, sollicitam Christus habuit curam. *Cùm sublevâsset oculos*, inquit Evangelista, *& vidisset multitudinem populi.* Hoc ipsô ego puto, teneri se animo Christus ad præstanda beneficia sensit. In oculis enim Christi, obligatio est inopes alendi. Cujus benignitati, sat est videre famelicos, & de fame illorum non moneri. Effusa est protinus in illas voces benignitas Christi. *Unde ememus panes, ut manducent hi*: Utique gratia auscultandæ doctrinæ Salvatoris, venerant omnes illi, quæstio ergo movenda potiùs fuit, quodnam sapientiæ cœlestis documentum instillandum rudibus erât, non de panibus facienda inquisitio, undenam sint emendi. Plures reperias, in alijs docendis assiduos, in admonitionibus ingerendis etiam nimios, in reprehendendo non parcos; sed nullam panis mentionem ab illis exspectes: id enim, anxiè ab auditoribus suis exigunt, ut audiantur, seu ad fame enectos dicant, seu à mensa venientes concionatoriè alloquantur. Dispar Christo mens, & tenerrimum ad infirmitates alienas ingenium:

nium: delicatô ille excipit sensu, quidquid angit alios. Ut pauperum vidit agmina, cogitationem, & curam ad alimenta largienda convertit, nè Evangelium à Christo prædicatum, sub illo unico legeretur programmate: *In illo tempore dixit JEsus Discipulis.* Sed etiam, in illo tempore dedit JESUS Discipulis suis; dedit panes, & alimentis suos reficere mandavit. Ut enim irrefragabili veritate certum est illud: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI. Matth. 4.* Ità famelicis non conciones, utcunque disertæ, & pietate respersæ fuerint, sed panis in mensa debet apponi. Ad Christum convenienti populo non defuit exhortatorius ad cœlestia sermo, sed nec panis defuit. Imò Salvator panem requisivit, antequam doceret. Nos concionamur expeditiùs, quàm panem porrigimus. Faciliùs est nobis execrationibus detonare, inexhaustâ convitiorum quandoque copiâ strepere, quàm alere eos, qui à nutu, & ore nostro pendent. Nè transmittamus oblivioni, panem porrigendum illis, in quos plùs quàm concionatoriè, quoties impetus suasit, declamamus. Ideo forsitan aliquorum dictio-

nes, tædium familiæ creant, quòd alia omnia, quàm panem loquantur, concioníque illorum panis desit.

Unde ememus panes, ut manducent hi?

SI ulteriùs consideremus, quô meritô illius turbæ, tam sollicitè Christus panem quæsiêrit? Non aliud Evangelium refert, quàm, quòd *Videbant signa*: quòd scilicet admiranda, quæ patrabat Christus, spectatum venerant; ergóne ille etiam, quem sua exciivit ad Christum misera illius videndi aviditas, pascendus est, & tantæ pulchritudini emendum, ut spectetur? Ità omnino: indignum id quidem, sed quotidianum, ut nihil Christi gratiâ, etiam quod in rem nostram est, faciamus, nisì ex stipendio panis; sufficere turbæ illi debuit, quòd hiantem ad insolita curiositatem, miraculis spectatis paverit, non enim laboribus, sed spectaculis vacaturi homines illi confluxerunt ad Christum: si ergo Christi miracula non sunt dignati videre, nisì pane saturarentur, id certè sibi velut jure vendicant illi, quibus adulatio pro censu, vel merce est, ut panis absumant plurimum, dum inania dominorum suo-

suorum mirantur; ejusmodi potissimùm admiratoribus multiplicantur panes, totúmque id soli ferè absumunt, quidquid inter manus distribuentis crevit, qui in admirationem compositi sectantur dominos, & eorum singulas vanitates,& factiones,inter miracula referunt. Non recipiunt hi tantùm copiosè panem , sed abundantiùs omnibus exigunt; hoc uno nomine,quòd *videbant signa*, quòd vultu, applausu, rumoribus, & literis, sui domini splendorem, amplitudinem animi, & pompam,admirationi publicæ proposuerunt. Quisquis eò connititur, ut non incurrat tantùm oculos, sed & ducat post se, & non ministrari tantùm, sed & suspici velit, admiratoribus suis panem maturè prospiciat, nisì frigere admirationem malit, quàm panem frangere, fruges consumere natis. Aliàs, utcunque panes apud viros principes crescant, hos admiratrix turba citò absumet,quærendúmque sæpiùs erit: *Unde ememus panes*? Illi enim maximas portiones devorant, qui, cùm signa Dominorum suorum vident, prædicare eadem sciunt, & mirari. Liberaliùs porrigitur

tur panis mirantibus, quàm multô ſudore panem parantibus.

Unde ememus panes, ut manducent hi?

NOn dixit Chriſtus, unde ememus panes, ut manducent Apoſtoli; ſed, *ut manducent hi*, quorum nullum Salvator in Apoſtolum adſcivit: cogitabat Chriſtus forſan, familiares, & ſuos intimos, æquô laturos animô, ſi advenarum, & hoſpitum, ratio potior haberetur, cùm hos civilitatis jura velint potiores domeſticis eſſe. Præterea comis, & in hoſpites effuſa benignitas, ad domeſticos quoque facilè pervenit: neque enim Chriſtus tam copioſum panem aliô inſtinctu largitus eſt turbæ, quàm ut reſidua fragmenta Apoſtolorum famem ſublevarent. De paſcenda multitudine ſollicitus Chriſtus, admonuit ſatìs, ut Diſcipulorum quoque ſuorum, ipſi meminiſſent. Perſtiterunt famelici, componente ſe ad cibum turbâ, miniſtrârunt ſingulis, circumlatô in orbem obſequiô, omnibus aderant, vultûs humanitate, & alacritate panem condiendo, ſemeſa panis fragmenta, & fami expletæ reſidua colligentes. Æquiſſimum proinde fuit,

fuit, ut Christô animum intendente in commoda illius populi, Apostolis quoque benignè succurreret. Quærebat Christus: unde pro turbis panes emeret, incumbebat ei simul, unde petendi, atque etiam emendi panes essent, ut Apostoli pascerentur. Avidas ad beneficia manus per invicem extendimus, si liberalitas divina ad nos cum pane copioso descendens, apud nos non arescit, sed pertingit ad alios. Panis facili manu à DEO nobis porrigitur, ut non ægrè à nobis, alijs porrigatur.

Ex eodem Themate.

Unde ememus panes, ut manducent hi? Ducentorum denariorum panes non sufficiunt. Joan. 6. c. v. 5. & 7.

UT primùm Christus de acquirendo pane explorare cœpit judicium Apostolorum, certatim hi difficultates objecerunt: alius ducentorum denariorum pretiô emendos panes non suffecturos asseruit; alius subjecit: quid hæc sunt inter tantos? E vultu aliorum, non dissimulata poterat legi improbatio beneficij, quod Christus destinabat

nabat populo; & si singulorum requisitus fuisset sensus, diversis rationibus idem petîjssent, voluissentque temperamentum beneficentiæ Christi; alij metuendum dicerent, nè insuescerent initiandi Evangeliô populi, panem potiùs, quàm Evangelium, & divini pabulum Verbi sequi. Alij vitio verterent, curè sua penu, ad itineris non longi necessitates, panem non deprompserint; dicerent nonnulli, pensabit brevem esuriem promptus domum ad escas paratus reditus, divisas sciant curas nostras à suis. Illis sollicitudo habendi in promptu panis, nobis ministrandi Evangelij incumbit; sint versæ vices: illi præstent nobis alimenta, apud nos quærant Verbum DEI: suggeri hæ rationes, inhibendæ Christi munificentiæ potuerunt, & forsitan plurium cogitatione volvebantur: sed his flecti Christus à benefica voluntate noluit, considere suo ordine turbam jussit, eámque subministratô abunde pane refecit. Indubiè magnæ virtutis documentum est, obstinari adversùs quæcunque consilia, quæ à benignitate in egenos abducunt. Quàm multos rationes expugnant, nè cogitationem pro alendis egenis

nis ſollicitam admittant, maximè ſi avaritia calculos ponat, & multa denariorum ducenta in pauperes expendi demonſtret.

Unde ememus panes, ut manducent hi? Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt.

SI conſilium de pauperibus, quibus alendi ſunt, panibus exquiratur ab illis, quos in familia non probitas commendat, ſed auri herilis, vicinos facit adulatio; adducetur prætextuum, & excuſationum agmen, nè famelici alantur, nè alienum æs, & alia, quæ poſcit æquitas, exſolvantur: vide, nè iniquorum conſilijs arrideas, & quæ contra juſtitiam tela porrigunt, tu ſtringas. Cui præcordia miſeratione non vacua, eorum perſpicaces oculi ſunt, ad videndos indigentes eò magis, quò plures fuerint. Quia *multitudo,* juxtà Evangelium, *maxima venit,* continuò Chriſtus, de emendis panibus quæſivit. Quò pluribus dederis, eò profuſiùs tibi largietur DEUS, ut ad plura danda ſufficias; ſi tenacitas ſuggeſſerit tibi, multa eſſe, quæ in pauperes, ſeu denariîs, ſeu pane effundis, & prodigis, flecte mentem ad beneficia, quæ

innu-

innumera à DEO habes, & nullum his pretium appendisti. Vanescunt ducenti denarij in pauperes erogati, si comparentur cum centenis millibus beneficiorum, quæ à DEO accepisti; nec denarij, nec panis deerit, si incrementum ex distributione, in egenos quæratur, & non pecunia tantùm, sed & pauperes in numerato habeantur. Millia denariorum depascunt canes tui, egenis ducentos denarios, quâ verecundiâ negabis? Siquidem impensæ te non terrent, permitte, ut canibus ducenti denarij, egenis verò millia, vel totidem saltem scuta utrisque seponantur.

Unde ememus panes, ut manducent hi? Ducentorum denariorum panes non sufficiunt.

PAni, quô Christus prodigiosè aluit indigam multitudinem, conjungitur pecunia, & miraculum. Paratus scilicet Salvator noster impendere nobis, quidquid pretiosum habent, vel naturæ promptuaria, vel abditiores divinæ naturæ thesauri. Apostolis certè non aliud occurrebat panis comparandi medium, quàm pecunia: nondum enim

enim ultra humanum sensum cogitationem protendere noverant, ex ingenio proinde humano, necessitates, & harum subsidia æstimabant. Noverant quoque ineptam & reprehendendam à famelicis cogitationem, si urgente fame disputâssent de denarijs, aut ad miracula respexissent, laboris, quo comparatur panis, obliti. Nec illos fugiebat, prompta omnia Christo, & ad manum, etiam sinè pecunia esse: sed quia parum aptè, rudi populo memorantur miracula, dum esurit, ad vicinius subsidium, quod in pecunia totum esse putatur, cogitationem verterunt; innuere ergo voluerunt, quòd pecuniam quoque Christus profundere paratus erat, ad multitudinem reficiendam, si pretiô potuisset panis in abundantia parari. Ducentis nihilominus argenteis suam Christus non vult finiri liberalitatem, utpote ad infinita etiam millia expendenda facilem. Nescit munifica manus Domini arctari, promptam, & non vacuam experiuntur famelici: non dubitat illa, etiam miraculô succurrere egestati, si opportuna media non adsint; è contra multi sunt, quibus nullus est pudor, si cum eadem

esurie dimittant à se egenos, cum qua venerunt ad illos, nè mica quidem panis, quæ à mensa excidit, permissa famelicis. Alij autem miracula potiùs vellent patrare, quàm nummos in pauperum cibos erogare, quanquam miraculi jam vicem teneat, si quis pecuniam promere audeat usibus miserorum.

Unde ememus panes, ut manducent hi? Ducentorum denariorum panes non sufficiunt.

NOn quæsivit CHRISTUS ex Apostolis, quantum pecuniæ expendendum esset in emendum panem, sed unde panes emendi essent: impertinente ergo responsô prorepsisse videtur ille, qui denarios numeravit. Ducentísne, an centenis argenteis constitutus panis, esset apponendus hospitibus, Apostolorum parum intererat. Nam ad ministrum Domini ea cura pertinet, unde emendus panis; quô verò emetur pretiô, Domino cogitandum; non sufficient, inquiunt, ducentorum denariorũ panes: quid inde? Ideóne pauperes carere pane debent, si impensa major, quàm ducenti denarij, ad emendum requiratur? Quid istud miraculi est,

est, ut aliquot milleni homines, ducentorum argenteorum panem absumant? Minimus etiam sumptus, intolerabilis videtur, si tenacitas sordida subducat calculos. Miseratione quisquis tangitur, perinde habet, plurimum, aut quid modicum expendit, si ab indigente famem depellat; nonnulli liberalitati suæ, & eleemosynæ certum præfixerunt terminum, ultra quem non extendant manum, & ad cujuscunque indigentiæ aspectum indurant præcordia, si ultra demensum, quod sanxerunt, largiendum sit aliquid; necessitas tamen, & famelicus pauper, computum non admittunt. Petamus à Christo, ut etiam nobis non requisitis, det, vel neget panem, pro arbitrij sui placito. Quæ autem à DEO, bonorum omnium munificentissimo largitore, acervatim, & indesinenter accipimus, promptâ, & non parcâ manu cum pauperibus dividamus.

Pro eadem Dominica.

Accepit panes, & benedixit, deditque singulis, &c. Quantùm volebant. Joan. 6. c. v. 11.

NOluit Christus porrigere famelicis panem,

nem, nisì benedictione sacratum, quamvis enim contactus manuum Christi sacraverat illum, bene precari tamen, & benedictionem benedictioni adjicere non omisit: forsan, ut duplô plùs sumeretur de benedictione, quàm de pane à manducantibus; sed duplicari plerique cupiunt annonam, non benedictionem. Exemplum hoc Christi utinam imprimeret nobis non impar studium, & memoriam, curandæ non minùs benedictionis, quàm panis: nec admovendum ori panem, nisì illuc eum prævia benedictio deducat. Sed consuetudo hæc, olim per sancta Christianis habita, tanquam primum condimentum mensæ, jam fastiditur, & ferè soli Paschati relicta, velut incivile quoddam proëmium, & infausta vox, ad simplices mensas est relegata: commessationes, & quæ majore censu instruuntur epulæ, sacra, bene precantium aspernantur verba, cùm interim non parcè ad accubitus illos, accersantur profani ritus, ex urbanitatis, ùt ajunt, lege, recitantur prolixè officiosæ vanitatis formulæ, arcentur verò, tanquam infaustæ voces, & ceremoniæ cum Bacchi sacris interdictæ, quas Pietas Christiana benedictiones

vocat. Addita sit, vel non, benedictio pani, inquiritur minimè, id solum curatur, ut, quicunque ille sit panis, non desit mensæ. Experiri quoque est in multorum mensa, incapacem benedictionis panem, qui, si pauperum lacrymis, & sæpe exsucto cruore tinctus fuerit, frustra super eum à benedicentibus multiplicantur cruces; non enim ideo benedictus erit. Alienum panem in mensa tua nè benedixeris, nam qui jus ad panem habet, ille & annexam pani sortietur benedictionem. Nunquam mensam nostram talis contingat panis, qui in comedentem imprecationes, & diras evocat. Licèt enim omnia ritualia volutaverimus, nullibi benedictionem pro ejusmodi buccellis inveniemus. Concoctioni facilior panis proprius, etiam benedictione vacuus, quàm alienus in furno adhuc benedictus. Tuo pane vescere, tuo benedictionem adhibe, alienum nè benedixeris.

Accepit panes, & benedixit, deditque singulis, &c. Quantum volebant.

QUid est faciliùs, benedicere panem, an dividere? Nihil sæpiùs mendicantes e-

geni referunt, quàm diversas benedictionum expressiones: sed cur panem quoque non accipiunt? Quia benedicendi, quàm dividendi panis, peritiores hac ætate sumus. Manibus Christi debetur benedictio panis, conjuncta distributioni, in tot millia partibili, quæ omnium famem, & desideria explevit; omnium gustui non satisfactionem tantùm, sed & voluptatem, & delicias attulit, nulli querelæ locum reliquit, hilares omnes, & contentissimos fecit; alia quæcunque manus creata, non effecisset similia. Benedictiones multi promunt, sed perpauci panem dividunt. Quid crebriùs egeni, dum mendicant, referunt, quàm varias benedictiones, in sinum suum ingestas? Ab alijs divinæ providentiæ commendantur: ab alijs copiosa benedictionum vota audiunt: à paucis panem accipiunt. Humaniùs tamen panem illi negant, qui bene precantur pauperibus, quos pascere debuerant. Illa inclementia plùs quàm barbara, quæ negatæ opis dolorem miseris, contumeliâ exasperat, & famem confitentes, convitijs saturat: Pauperi supplici, panem si dedignaris porrigere, injurias, & improperia nè ingeras.

Acce-

Accepit panes, & benedixit, deditque singulis, &c. Quantum volebant.

CONsideranda non obviè sunt Evangelij verba: *Dedit singulis, &c. Quantum volebant.* Mensuram, & regulam factorum, & faciendorum agnovimus in DEO, sanctissimam ejus voluntatem: distributionem panis, admensus est voluntati illorum, qui cupiditates non simplices, sed fame deductas attulerunt: tribus, vel pluribus suffecturas partes, si unus esurientium poposcit, non abnuit CHRISTUS. Quinque millia volentium panem, censebantur, moderatè aliquem voluisse manducare, vix probabile: una tamen Christi manus tot poscentium necessitati, imò, quod majùs est, cupiditati suffecit, nec lenivit tantùm hanc, sed explevit. Vel magnis opibus animosa liberalitas, vix obtinet, ut unum hominem pane impleat, si hic ad arbitrium accipientis, & necessitatem suam cupidine metientis, dandus erit. Quid si appetitus singulorum in tanta multitudine, & ex propria cujusque esurie, & ex aliorum aviditate cresceret? Vix unquam sperandum, ut manus, panem plu-

ribus distribuens, singulis satisfaciat. Aliorum manibus ardua hæc sunt, non Christi, Qui omnium desiderijs, & indigentiæ, cumulatissimè indulsit. Et reverâ, si panis ille in alienas, non Christi manus, incidisset, procul dubiô, & fragmenta nulla superfuissent, & panem pro suæ voluntatis arbitrio accipientes, contenti non essent.

Accepit panes, & benedixit, deditque singulis, &c. Quantum volebant.

ETiam humana liberalitas dat panem, sed quantum ipsa vult, non quantum volunt accipientes. Tenacitas autem, si panem distribuat, supplet reliquum temperantiæ commendatione, memoriâ debitæ decentiæ, & mille præceptis instruit mensam. Non illi solatium est spectare edentes, quantum ipsi volunt, sed quantum ipsa desiderat, mavúltque superesse querelas, & obtrectationes mensæ, quàm fragmenta. Solius Christi laus ista est, ut, dum poscentium implet manum, impleat & desiderium, utpote ad pascendum etiam ventrem copiosè munificus. Aliô modô largissima Christi manus beneficia tribuit, aliô artificiô hu-

ma-

manus pugillus dona ſua diſpertit. Conſultiùs nihilominus eſt juxta menſuram divinæ voluntatis panem ſumere, quàm eum ſuo gutturi, permittente Deo, admenſurare.

Accepit panes, & benedixit, deditque ſingulis, &c. Quantum volebant.

SI Chriſtus tam liberaliter paſcit ventrem, quantò promptiùs ſe impenderet paſcendæ animæ? Quos non theſauros gratiæ in volentes profunderet? Sed heu! majora ad ſaginandum corpus, quàm ad animam ſublevandam, apud DEUM quæruntur ab hominibus, & obtinentur impendia. Indigniſſimus pane eſt, qui plùs panis, quàm gratiæ à DEO poſtulat.

Pro eadem Dominica.

Collegerunt fragmenta, & impleverunt cophinos duodecim. Joan. 6. v. 13.

MOdus in hoc themate innuitur, quô Chriſti panis edendus eſt. Eâ ſcilicet moderatione, ut poſt ſedatam famem ſuperſit, quod ad Apoſtolicum cophinum ſeponatur. Non ruſticitas vulgi illius, ſed pru-

dentia fuit, quòd refectis cibô viribus, adesi panis fragmenta reliquerint Apostolis: noverant bene beneficentiâ Apostolicâ plurimos sustineri, neque aliò magìs familiarem indigentibus recursum esse, quàm ad Apostolorum cophinos, in quos, síntne vacui, vel non, curiosè mundus introspicit: viluissent privatorum sinu abdita fragmenta illa, aut vanuissent: Apostolicis deposita cophinis, increverunt conservanda, ad indigentium usum, ex opportunitate beneficij pretium, & condimenti suavitatem habitura. Sed heu! quàm multi inhumanam, & prorsus barbaram edacitatem, in Christi panem promunt, libentissimè non fragmenta tantùm, sed etiam integros panes, & Apostolos, & cophinos illorum absumerent. Populus exercitui par, nam aliquot implens millia, porrectum ab Apostolis comedit panem, superfuerunt tamen comedenti, quæ Apostoli colligerent. Nunc insatiabilem voracitatem stringit in corbes Apostolicos armata avaritia; convolant certatim, succedentium sibi harpyarum agmina, in id studiosissimè intenta, nè quid vel de pane, vel de cophino Apostolico supersit. Ederent

 sanè

ſanè, ſed & Apoſtolis relinquerent: permittunt non gravatè Apoſtoli panem, ſed ut illis maneant ſaltem fragmenta: fruſtra plenos jam fragmentis quæras cophinos, inanes ſunt, quia in evacuandis non ceſſatur. Excutit illos fruſtra, eſurientium licentia, poſtquam ad fundum pervenit rapacitas: millenis antea alendis unus ſufficiebat cophinus Apoſtolicus, nunc duodeni implere ventrem unum non poſſunt. Abſumpto pane, quid reſtat, quàm ut cophini etiam abſumantur.

Collegerunt fragmenta, & impleverunt duodecim cophinos.

Non major Apoſtolorum numerus, quàm cophinorum fuit, quódque majus eſt, ſuum quiſque cophinum implevit. Tam Petri, quàm Andreæ, quàm Joannis, imò Judæ etiam cophinus plenus fuit. *Collegerunt*, inquit Evangelium, *& impleverunt duodecim cophinos de fragmentis.* Perrarò contingit hôc ævô Apoſtolis, ut ſuum unusquiſque cophinum impleat. Non pauci ſunt, qui colligunt, ſed vix ullus eſt, cui ſuus adimpleatur cophinus. Licèt nunc deni Apoſtoli, de

de ſuis cophinis totum id, quod collegerunt, in cophinum alterius conferant, non eum explebunt. Nec diu quærendi ſunt, quorum cophinus impleri, quantumvis referciatur, nullô modô poteſt. Colligunt inceſſanter, & in cophinum, quæ collegerunt, mittunt, hic tamen expletur nunquã, illô infami notandus titulô: *Affer, Affer. Prov. 30. c.* Non obviæ itaque facilitatis perfecerunt opus Apoſtoli, dum pane, &, quod amplius eſt, non ſuô, cophinos impleverunt. Rariſſimum eſt, ut ſeu promptuaria, ſeu cophinos, alieni panis fragmenta impleant. Non quinis tantùm, ſed etiam millibus edentium decerptæ portiones, ſi de alieno carpitur, cophinum non explent; avaritiæ enim, & injuſtitiæ cophini pertuſi ſunt, & fundô carent, quidquid eis injicitur, vacuitatem importat. Videmus pluribus largitiones, alias ſuper alias, in ſinum congeri, hæreditates proprias, & uſurpatas coacervari; hæc tamen abſorbentur à cophino, non eum explent, fruſtráque humana deſudat aviditas, ut per nefas congeſtis, cophinum repleat, cui fundum injuſtitia, & avaritia ſubduxit.

Colle-

Collegerunt fragmenta, & impleverunt duodecim cophinos.

Hordeaceum fuisse constat ex Evangelio panem, quô Apostolorum cophini impleti fuerunt. Qui liba tantùm, & crustula, suo inferre volunt cophino, immemores sunt, à divina manu quæcunque dona, non cophinô tantùm, sed grata mente, & fronte hilari, excipienda esse. A JESU enim manu, etiam hordeaceus panis, qui agrestium nonnisì famem solari consuevit, suavitatem, & gustum deliciarum accipit; dedisce fastidia, quibus adsuevisti, obvia nè aspperneris: ad manum tibi sit Apostolicus cophinus, qui nihil ex impositis respicit. Non tibi inter execrationes accense, semesi panis fragmenta, ab aliena manu decidua, quæ inter propitiæ fortunæ munera, poteris aliquando numerare, & voto ardentiore petere, ut colligenda obveniant: vidimus plures, à confertis horreis, ad sportam redactos, & quorum fortunas prædia, & latifundia non capiebant, cophinus cœpit. Sufficit ijsdem, quidquid mendicitas ingessit corbi, satísque fuit delicatæ antea gulæ, &

in acervo deliciarũ nauſeanti, quidquid famem depulit: docuit neceſſitas patrimonia integra, & granaria, uno ventre, pro una refectione poſſe decoqui. Ut ſportam in horrea abundantiſſima diducere, divinæ manui promptum eſt, ità granaria reducere ad corbem, æquè facile. Si DEO conſtanter adhæreas, neque ſecedas unquam à Chriſto, panis tibi deeſſe non poterit.

Collegerunt fragmenta, & impleverunt duodecim cophinos.

EX dictis hæc ſuccinctè notari poſſunt: 1. Qui avidè colligunt, illorum cophinus ſemper hiat, & nunquam impletur. 2. Quacunque de farina panis fuerit, ſapiat, quia de manu Chriſti venit. 3. Enorme eſt, habere corbes expanſos ad excipiendum panem quotidianum, & non habere ſportam, quâ capiatur panis, qui de cœlo deſcendit. 4. Inter propitiæ fortunæ munera, ſemeſi quandoque panis fragmenta numerantur. 5. Multorum cophini nunquam hordeaceo pane, ſed paſtillis ſemper impleri deſiderant. 6. Nemo alieno pane corbem implet, licèt non poſt quina, ſed poſt centena

na hominum millia, fragmenta collegerit. 7. Periculum est, nè cophinos etiam vacuos devorent, qui panem Apostolorum &, fragmenta absumpserunt. 8. Ità pane Christi fruere, ut post refectionem tuam habeat Apostolus, quod colligat. *Ultimò.* Si eam diligentiam mortales colligendis muneribus divinis, & gratiæ thesauris impenderent, quam micis panis, à terra tollendis addicunt, aut implerent pridem cophinos, aut impletio eorum, non procul jam à summo esset. Heu! quàm noxius nos torpor habet: cui damna imputemus nostra; sponte præterimus miseri thesauros gratiarum, qui ad pedes jacent, ideo nondum nostri, quòd ad colligendos inclinari pigeat. Expectamus, ut hæc pretiosa fragmenta, ultro se cophinis nostris inferant. Apostolicas ad legendum, frustra requirimus manus, nos iste labor, & fructus manet. Probrosa verò illa excusatio est, ut habeamus, quô excipiamus panem, non habeamus, quô gratiam recondamus. Diligentiam in colligendis, & conservandis gratiæ divinæ donis commendatissimam habe.

Pro eadem Dominica.

Cùm cognovisset JESUS, quia venturi essent, ut raperent Eum, & facerent Eum Regem, fugit. Joan. 6. v. 15.

Non facilè reperiendus homo, qui sectantibus se, & confertim venientibus impertiat copiosè panem, & nihilominus non respiciat illorum suffragia ad regnum, quos liberalitate continua sibi obstrinxit. Reperiuntur potiùs, qui ferrô, non pane armant manus, & regno injiciunt, qui & panem negant, & rapiunt regnum. Non priùs acclamare Regem parabat turba, quàm pane esset satura: vix enim electores illius, surdâ fame, consequenter & famâ candidatorum subscribunt votis, & ambitio utcunq; blanda, persuadet nihil auribus, nisì eas, & simul os, ventrémque pane oppleverit. Arescunt apud famelicos suffragia, mutáque hærent, nisì largitionum calore animentur. Quanquam contingit, ut pane unius, ad favendum instincta lingva, vocem commodet alteri: famelici electores, aliorum panem devorant, & alios ad sceptra promovent. Magìs

gìs ingenui pectoris fuerunt, qui Chriſti pane ſaturi, Chriſtum proclamare Regem parabant. Non epulas illis quæſitiores inſtruxit, non menſas, in quibus copia, & pretia ciborum contenderent, appoſuit; pane cibario, & agreſti convivium totum conſtitit. Non minore tamen alacritate ad panem, quàm ad Chriſtum affectu concurrerunt, qui etiam gregario pani ſuavitatem, unà cum dantis manu indidit. Æſtimatio Chriſti plerumque, pro ingenio Illum affectantium, menſuram habet: ſunt, quibus porrectum de manu Chriſti aceroſi panis ſegmentum ſufficit, ut Chriſtum in Regnum provehant. Alios nè deliciæ quidem, & ingeſtæ ijsdem cupediæ, regnóque illius conciliare poſſunt.

Cùm cognoviſſet JESUS, quia venturi eſſent, ut raperent Eum, & facerent Eum Regem, fugit.

NOn fuit neceſse Chriſto, ut fugâ ſe ab imponendo regnandi onere expediret, poterat excuſationes opponere ſuffraganti-bus, addere grati animi conteſtationes, quòd diademate dignum crederent, & or-

nare vellent, conſervandam apud ſe meriti hujus memoriam, & in opportunitate quavis, teſtandam factis, & quovis impendiô, videtúrque futura fuiſſe efficax hæc excuſationis forma: quòd ſi hos vulgi favores excivit panis, plenique fragmentis ſpectati corbes, firmare etiam promiſsîs paria in futurum liberalitas Chriſti potuiſſet, relicta in ſecura ſpe, & deſiderijs accenſis in panem. Interim aboleviſſet memoriam dandi imperij inſtrumentum conſumptibile; nihil igitur fuit, quod ad fugam Chriſtum compelleret. Licèt enim conſpiraverat in Chriſtum populi affectus, non tamen ille ea machina fuit, quæ civilitate, & rationum pondere non everteretur: exarmâſſent pertinaciam turbæ, lingva promens gratias, frons renidens, perſtitura etiam impoſterum munificentia, demum firmitas animi, adversùs populi favores, Sed perſpicaciſſimô egiſſe conſiliô Chriſtum non dubita, non fronte, ſed animô excuſat Regnum, quiſquis fugit: gloriosiùs eſt, ut fugientem ſequatur honor, quàm ſi fugiat ſequentem.

Cùm

Cùm cognovisset JESUS, quia venturi essent, ut raperent Eum, & facerent Eum Regem, fugit.

SI Christus fugit turbam, consequens est, ut turba illum persecuta sit. Nemo enim nisì consectantes fugit; sectati igitur, sed non consecuti Christum. Plerosque sua fuga & prodit, & capit; fugiunt enim, ut non effugiant, qui fugiendo coronam, plenos secum fragmentis corbes portant, eósque sectantibus se monstrant. Christus, dum se regio thronò eripit, & Apostolos pariter, & cophinos deserit. In montem altum evadenti, importuna est panis sarcina, sed magìs regnum, etiam in plano fugienti. Hæc consectantes trahit, hæc fugientes capit. Cur plures, dum honores fugiunt, honorum compediuntur vinculjs? Ideo, quia fugiendo deferunt panem, & fortè fragmenta etiã jaciunt consectatoribus suis, dúmque se fugere, & latere proclamant, ambitione improba satagunt, ut quærantur, & viam post se ostendunt, ut inveniantur. Nè panem ostentes, quibus persuadere vis, quòd fugias, aut certè vacuum objice cophinum, ut

in te ſpes ſuas perſequi deſinant; nam ſi, te ſpectantibus, fragmenta identidem è corbe prompta jactitas, non fugis, ſed capturos te allicis. Plurimi ſunt, qui odium vanitatis profitentur, ſed qui faſtum ſæculi verè fugiant, pauciſſimos inveniemus.

Cùm cognoviſſet JESUS, quia venturi eſſent, ut raperent Eum, & facerent Eum Regem, fugit.

PRudentiſſima Chriſti, adversùs ambitionem circumſpectio, noverat venturos, qui vim admoverent, ut ſolio illum imponerent. Subduxit ſe, antequam accederent, & occaſionem opportunam fugâ prævenit; noverat periculoſum admodum eſſe, ad fugam reſpicere, ſi manus injici ſibi permiſiſſet, & in alieni arbitrij veniſſet poteſtatem. Non invitus coronatur, qui ſe rapi permittit ad coronam, minúſque in illo animi honor invenit, quàm ut illi dare repudij libellum audeat. Qui rapientium potuit, potiúſque voluit pati manus, cur non honorem patiatur? Imò ut conjectari audeo, non patietur tantùm, ſed etiam amabit. Ambitionem, ſuperbiam, à longè horreas, in præci-

cipitia certiùs non rues, si ad hæc vicinus non accesseris.

Cùm cognovisset JESUS, quia venturi essent, ut raperent Eum, & facerent Eum Regem, fugit.

PLebs semel pane à Christo pasta, Regem Illum, & dominatorem suum exoptavit. Nos pridem, non interruptô divinô beneficiô nutrimur, vestimur, fovemur; propius tamen est, ut scelerata secessione, juratam exuamus Christo fidem, quàm ut imperium illi supra nos, nostra subjectione, & amore sanctum velimus esse. Quàm meritò exclamare persæpe tenemur: nullus nobis alius Rex est, præter JESUM. Dederit, seu negaverit panem, Rex nobis æternùm ille unicus erit, ille ambitu omni, & infatigabili quæretur. Non pane, aut muneribus expletæ cupiditates, sed amor, & æstimatio ad thronum promovent, & candidatis suffragantur.

Dominica V. Quadrageſimæ.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. v. 46.

NOn dixit Chriſtus, nemo veſtrum peccatum mihi objiciet, ſed nemo veſtrum me arguet de peccato, & criminis illius convincet. Inſimulabant enim plurium, maligniſſimi hoſtes Chriſtum, ſed nullô revincere potuerunt documentô. Criminabantur vinoſum, religionum, & patriæ legum inimicum, gentis ſuæ excidia, & ruinas agitantem, ſed objecta nullô argumentô firmare potuerunt. Imminebant ubiq; linceis oculis actionibus Chriſti, ſeu mensâ illum inſidiosâ exciperent, ſeu colloquijs familiariter intervenirent, ſeu docentem, & divinâ eloquentiâ populos trahentem comitarentur, ubique ſe mendaces, & calumniatores, non Chriſtum minimæ labis affinem probârunt. Adeoque minùs inde commendationis Chriſto fuit, quòd ſapientiâ pleniſſimus, quòd Filius Virginis, quòd præſentiſſima ſalus, quacunque valetudine laboratum eſſet, quàm quòd intaminata ſanctitas illius, nullius nævi coargui potuit.

Inno-

Innocentibus objiciuntur facilè scelera, probantur difficilè. Neque arduum contra Sanctissimos etiam, producere testes, sed noxam testimoniô deprehendere impossibile. Multorum delicta non objici tantùm, sed & argumentis non obscuris teneri possent, si ea alicui, ùt Christo, esset fiducia interrogandi: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quàm multos se enormiũ criminum revincentes audiret; diceret alius: ego te avaritiæ, ego adulterij, ego ambitionis convincam; in promptu esset ad arguendum illum, defraudata mercede familia, exuti agris vicini, familiares in societatem sceleris, & conscientiam admissi, æmulatores factiosi, tótque alij. Quòd objicientes plerique non audiant, potentiæ illorum metus facit, quo se contra libertatem querelarum muniêrunt. Sed ubi, oppressis, mors illorum securum fecerit queri seu liberis, seu successoribus, objicient, & deducent facilè commissa illa. Vitam quisque suam ità ordinet, ut fidenter dicere possit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ut humanam diligentiam omnino superat, non esse obnoxium audaciæ objicientium crimina, sic necesse est ità

vivere, nè objectorum criminum convincamur.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

COmmuni inter homines invaluit usu, ut objiciantur multò plura, quàm probari possint. Vix unum ex jurium instrumentis, & forensibus libellis invenias, in quibus ultra veras querelas, non farcinatur ea criminationū materia, quam ultra spem probandi accusatorum licentia cumulat. Si quemadmodum panni volumina, calentis ferri pondere, & pressurâ densari mos est, simili subjicerentur prælo formulæ, & consignationes litium, quantùm illis contrahi esset necesse? Et pannus quidem, si calentiore torretur ferro, cogitur in arctum ità, ut senis plerumque ulnis, decedat una, & volumini integro ulnæ aliquot. Sed forensia, confarcinatis causarum textibùs gravida volumina, si experimento subjicerentur simili, prodigiosa illa, accusationum, & injuriarum congeries, multiplici implexa nodo, per innumeros ductus, & reductus extensa, aut penitus evanesceret, aut ad palmum unum rediret. Accusatio non probata, in ca-

lu-

lumniam vertitur accuſato, & peccatum, quod objiciebatur innocenti, proprium eſt objicientis.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

REum ſe fateri debet extra litem, qui de peccato argui non mendaciter, jure poteſt. Non tanti eſt tamen norma juris, & uſus fori, ſeu potiùs legulejorum in formulis conſarcinandis intemperies, ut impune ſit, calumnias per tabulas publicas, & tribunalia ſpargi, & impune licèt fuerit, nefas eſſe non deſinit, mendacia palmaria actorum publicitate, ad fidem promulgari. Exercita ad vexandum jura verſantium lingva, calumnias extendere, diducere, & ad veri ſpeciem, impoſturas trahere, ſalvâ conſcientiâ non poteſt. Perſæpe enim mediocris innocentium infamia, & inuſta minimè merentibus nota, non parvô damnô, per varia judicum ſubſellia dum trahitur, in piaculum exit. Quamobrem ſi forum tibi omnino experiendum cogit neceſſitas, nè ad objectiones proſilias, quas nonnisì fraude, & cavillationibus probare poſſis. Labe hac non jurium tantùm ignari, ſed etiam docti in-

inſperguntur, & laqueis, quos iniquitas, inter ipſa Themidis aſyla tendit, implicantur. Ij ſunt recurrentium in ſe ſtropharum flexus, ea mendaciorum in veri, & æqui ſpeciem tingendorum artificia, ut nequitia ſæculi audeat, inſontibus affingere nefanda, & confeſſionem alieni facti, ex ore innocuo exprimat.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

NUlla, à quocunque demum accuſatore, Deô exceptô, magìs timenda homini accuſatio, quàm illa, quæ à conſcientia uniuſcujuſque producitur. Hæc, non objicere tantùm, ſed & convincere prompta; non verba, non intimæ cogitationes, non abditiſſima facta, illam omnia rimantem, & pervidentem effugiunt. Si hominem criminetur homo, negari objecta poſſunt, ſed agnoſci debet, quidquid conſcientia exprobat, nec excuſari, nec abjurari poteſt, quod illa reprehendit. Eruit hæc ex profundiſſimo cordis receſſu abdita, & quæ arcana volebamus, evulgat, & rumorem facit. Delicta aliquorum, ſæpe jam DEUS in ſuis rationibus abolet, conſcientia tamen etiam deleta, &

ex divinis tabulis erasa legit in suo codice, & molestissimè proclamat: Peccâsti. Non importuniùs criminator ullus obturbat hominem, quàm flagitium, testimoniô conscientiæ deprehensum. Vide, nè clamantis conscientiæ, & tua arguentis peccata, os obstruas. Liberè proferat contra te, dummodô non inania terriculamenta.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

OMnia accusatorum, etiam conscientiæ testimonia, & documenta, vincit sua accusatione DEUS, non erit innocens, quisquis ab Illo accusatur. Nec plùs ad causam perdendam in sacro judiciorum DEI tribunali requiritur, quàm ut homo à Judice DEO accusetur. Per curias, & prætoria hujus sæculi, non sunt rubori voces illæ, quibus causæ in legitimas, & justas causas discriminantur, cum justísque sæpè periclitantur. Illud verò sollicitè discutiendum esset: cur justa quælibet causa, non legitima, aut si injusta est, quomodo legitima potest esse? Quænam illa potestas, quæ adoptare in legitimi nomen potuit, quidquid iniquum est? Lex famulari semper æquitati debet, a-

deo-

deoque quidquid æquum, legitimum ſimul eſt, & lege ſolidè, ſecuréque defendi debet. An idem ſit cauſam iniquam legitimam pronunciare, & innocentiam ſupplicio addicere, decernet tandem juſtiſſimus arbiter DEUS, Cujus ſola accuſatio, ſi adversùs actores, patronos, & judicia ſteterit, actum eſt de lege, & legislatore, qui legitimæ, & injuſtæ cauſæ nomina, in ſuo tribunali compoſuit, aut componi permiſit; ſcelus eſt, velle ſuô placitô leges ſatellites eſſe accuſationibus, injurijs; ſcelus eſt involucra jurium quærere, & legum viribus obarmare.

Pro eadem Dominica.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? &c. Ego dæmonium non habeo. Joan. 8. c. v. 47. & 49.

SÆpius mendaciorum architectis, quàm veracibus adhibetur fides: cujus iniquiſſimæ ſortis in Evangelio Chriſtus petit cauſam à Phariſæis, dicens: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Sed hi contumeliam atrocem, non ſolutionem, aut reſponſum aliud repoſuerunt, dæmoniacum eſſe

esse per convitium exclamârunt, ad saxa discurrerunt, ignari, veritatem nec saxis lapidari posse, nec dæmone terreri. Non tangunt saxa veritatem, distringantur licèt, & projiciantur in veritatis præconem. Veritas seditiosas non formidat voces, nè dæmoni quidem cedit: estò lapides nonnunquam declinet, ùt in hac occasione factum à Filio DEI; documentum relinquente nobis, ut discamus non objicere repentè veritatem lapidibus, ut hæc proponi multorum bonô possit pluries. Docuit eôdem factô Christus: non deteri veritatis famam, quantamcunque illi notam calumnia allinat. Aditus obsessuro dæmonio ad illos minimè patet, quibus studium est vera dicendi; veritas pellit dæmones, nec ipsa ulli dat in se accessum dæmoni, nec unquam energumena esse potest. Non ad hanc perrumpit Pluto, opum præfectus, & custos, non ille dæmon, cui nomen, legio nequitiarum, fraudum, violentiarum, in uno nomine minacissimam cohortem includens, non alij dæmones muti, & spiritus immundi. Non enim Christi veritas, sed mundi hujus censetur illa esse, quæ à quocunque, seu novello

dæ-

dæmunculo, ſeu à veterano dæmone, mendaciorum antiquiſſimo patre, obſideri ſe patitur.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? &c. Ego dæmonium non habeo.

VIx mentionem veritatis Chriſtus fecerat, quæſivítque ex Phariſæis: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Mox maledicti proruperunt cum illo convitio: *Dæmonium habes.* Rationem veluti aſſignantes, quòd ideo Chriſto non credant, fidémque ei denegent, quia dæmonium habet; ſed Chriſtus ſinè mora repoſuit: *Ego dæmonium non habeo.* Quaſi diceret: oſtendite, quo tandem dæmone afflari mea dicta poſſint? Quod veſtigium inferni ſpiritûs, in veritate mea, quam prædico, deprehendiſtis? Veſtra, quantumque vera jactetis dicta, nullum non dæmonem redolent. Nihil frequentius eſt, quàm ut ſua quiſque dicta operosè commendet, & indubitata perſvadere alijs velit; ſed rariſſimum inter iniquos verbum eſt, cui non ſe dæmon quiſpiam inſinuet. Obſtinatè veritatem impugnantes, aggravant, non excuſant contumaciam ſuam

suam, hac ipsa, quam comminiscuntur, calumnia: *Samaritanus es, & dæmonium habes:* Quid enim refert, Samaritanúsne dæmoniacus, an à dæmonio immunis, qui verum affert? Cùm, etiamsi dæmoniacus, verum enuntiet, non à dæmone, sed à se, veritas authoritatem habet. Sed jam pridem infelicitas illa sæculi est, ut mendacia pronâ, veritas aure aversa excipiatur. Inanissima anicularum deliria, spurcissimæ imposturæ, absurdissima commenta, quot admiratores, & approbatores habent, eosdem sæpiùs, qui supercilió severô, etiam manifestè vera, reprobant: qui indubitatis assensum suspendere, vel motum atrociorem appingere, prudentiæ esse ducunt. Stolidi mendicabulorum stridores, arreptitiorum ululatus effingentes, persuasêre sæpe populo, incolam dæmonem, & miseratione, & terrore moverunt multos, qui eos rigore quodam, & torvitate obdurescere, publicè testarentur coram populo. Feliciùs scilicet mendacia persuadentur, quàm veritas proponatur. Quoties disertissimi ex oratoribus sacris monent: sub illice esca, vorari hamum: sub fallaci specie atrum dæmonem:

nem : ſub illectamentis vitiorum exitium tegi; nemo tamen, aut perrarus dat fidem dictis.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? &c. Ego dæmonium non habeo.

VEritas ab hominibus plerumque acerbiore ſenſu excipitur, & dum admovetur intimiùs, per vulnus in animum deſcendere, nonnullis creditur. Primam mentionem veritatis, hoſtibus vix Chriſtus fecerat, proſiliêrunt veluti ignitô peruſti telô, quamvìs illos Chriſtus, non utì olim Joannes, dixit genimina viperarum, non duces cæcorum appellârit. Non improperavit decimari ab illis mentam, & quæ graviſſima ſunt, contemni. Reticuit traditiones, quibus ad ſuperſtitionem uſque dediti, has per vitæ impendium ſervare parati erant: his naturæ, & charitatis jura cedere, putabant laudabile. De veritate vix diſſerere cœpit, & ea mox conflata in eum irarum tempeſtas, ut omni contumeliarum turbine detonuerit. Leniebat iratos Salvator, æquitatem dictorum ſuorum probabat, placidiſſimo vultu, animi in illos benignitatem pande-

debat, ſedari tamen moti furores non potuerunt. Ità excienda iræ, efficacius nihil veritate: molliſſima ſanè circumponas veritati involucra, tamen dum tangit, lædit: mellita licèt hanc proferat lingva, audienti veritatem propinat abſynthium, morsúſq; cor diſcerpentes, ſentiunt nonnulli in oſculo veritatis: ſerenitatem ſuam innubi cœlo veritas non invidet, radij tamen illius pleriſque fulmina ſunt, præſentiſſimum licèt medicamentum, imò ſanitatis pignus ſit veritas, aculeos tamen in illa ſentiunt, & mucrones, qui audiunt, & veluti ulcera, toti intulerit corpori, ſaniem extergunt, & acerbiora, profundioráque per veritatem, quàm per gladium infligi credunt vulnera. Aversa, & inflexa licèt acie ictum modereris, dum veritatem ſtringis, plaga tamen ad vivum, & animi fundum deſcendit. In innocentiſſima veritate gladios, flammas, tortores, & pœnarum genus quodlibet, paſſim agnoſcunt homines, & ſenſu ſe experiri oſtendunt; nec dubitari poteſt vel læſurum, vel ſauciaturum, quiſquis vera loquitur.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? &c. Ego dæmonium non habeo.

SEriò interroganti Chriſto: quare dicenti veritatem non crederent! nihil directè reſponderunt Phariſæi, qui, ſi quæſiti hujus aliquam rationem excogitare potuiſſent, produxiſſent illam plauſibiliter, ſed cum difficultatem propoſitæ ſibi quæſtionis, nulla ratione ſolvere ſe poſſe, animadverterunt, nè verbô quidem in ſuppoſita materia dictô, ſermonem aliò deflexerunt. Etiam hôc ſæculô nondum ſoluta eſt Filio DEI quæſtio iſta: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Reſponſiunculæ quidem nonnullæ datæ ſunt, quarum tota vis in verbis; ſed nulla in re ſolutio: alij fatentur ideo ſe non credere veritati, quòd non ſit faceta: alij, quòd nemini indulgeat, nè principibus quidem parcat: quòd gratiam politicæ in dicendo libertatis plùs nimiô adſtringat, & his ſimilia. Sed luditur rationibus talibus, non ſolvitur quæſtio, manétque inſolubilis hucuſque. Quare veritati, & vera dicenti non creditur? Nullam meliorem attuliſſent rationem ſolvendo iſti dubio, quàm ſi re-

reſpondiſſent; ideo non credimus tibi veritatem dicenti, quia Phariſæi ſumus. Quisquis vera dicentibus non credit, ideo non credit, quia Phariſæus eſt. Ut itaque veritatem audias, & ames, Phariſæus eſſe deſinas, neceſſe eſt.

Pro eadem Dominica.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes. Joann. 8. c. v. 48.

INſigniſſimè improbi convitiatores, & mendaciſſimi obtrectatores Chriſti, per ſingulas voces eructabant indigniſſima convitia, deſpumabant probra, quæ merebantur ſceleratas radicitus exſcindi, & evelli lingvas, ſpurcitijs quibuſcunque obturari fauces, à quibus tanquam à fædiſſima caverna exhalabat indigeſta, & execranda rabies: illi tamen, ſi non optimè, ſaltem bene ſe facere putabant, & conſequenter poſcebant à Filio DEI, ut dicta eorum probaret, veritatémque in illis agnoſceret, nulli affectui obnoxiam: planè acſi à DEO vates eſſent inſtituti, aut blaſphemare, & prophetare, pro

eodem ſpiritu haberent ; ſarcaſtica impudentiſſimi oris vociferatione illud ſuum ; *Nónne bene dicimus nos*, egeſſerunt. O impudentiam! latratis canes rabidi, & dicere bene vos contenditis! *Nónne bene dicimus nos*, Omnino ſceleratè, & mendaciſſimè dicitis. Affectum ùt plurimùm lingva ſequitur, nec aliud loquitur, quàm quod ſibi cor ſuggeſſerit. Benedictiones, & elogia ab impio ore nunquam Chriſto proveniunt.

Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes.

PArum eſſe credebant ſcelerati, quòd per contumeliam Samaritani nomen objecerint Chriſto, quòd eum energumenum vocaverint; optabant inſuper, ut tam impudens mendacium, & iniquiſſimè affictum probrum, Veritas divina Chriſti ore agnoſceret, & ſuum calculum apponeret calumniæ, quàm Filio DEI impingebant. Dicta illorum improbari non poſſent, ſi, quæ dicebant, in ſe ipſos tali ſtylo vertiſſent; nónne bene dicimus nos, quia Samaritani ſumus, & dæmonium habemus; aut ſi partem ſaltem dictorum cum Chriſto diviſiſſent, ſe dæmo-

moniacos, illum Samaritanum appellâssent. Sed malignitati consuetudo hæc insolita, ut de alijs, potissimùm verò de Christo pessimè, de se verò optimè loquatur. Nulla truculentior nequitia, quàm proscindenti alienam famam lingvæ, & convitia indesinenter jaculanti, authoritatem veræ relationis, & modestiæ conciliare velle, & post congesta mille opprobria, velut intercalare carmen: *Nonne bene dicimus nos*, repetere. Nihil tamen frequentius, quàm ut nostra indulgentissimis dicta, factáque præconijs tractemus, aliena dirè laniemus.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes.

NOn tantùm Christus, sed & quilibet, imprimìs tamen Samaritani, rabidæ obtrectantium judæorum patuerunt lingvæ. Idem illis erat, Samaritanum, & dæmoniacum esse, & jus quoddam dæmoni addicebant in omnes, quicunque sangvine judaico orti non essent. Frequentiùs tamen improbum Israëlitam, quàm extorrem à vera fide Samaritanum, dæmon obsidet. Nec rarò, ductum ab Israële genus, pro dæmone il-

lis eſt, quos inſano tumore diſtendit, & ſub ſpecioſo nomine, inane ſimulacrum effingit. Melior eſt Samaritanus modeſto ſenſu, non ſplendidam in ſe agnoſcens originem, quã Iſraëlita, ſua ſtirpe tumidus. Ex ſolo, uti Iſraëlitico, ità & Chriſtiano nomine non ſanctitas conſtat, nec te præferas alijs, ſed tuis actionibus intentus, alienas Deo Judici relinque; qui olim Judæos inter, & Samaritanos diſcernet, quinam illorum plures arreptitios habuerint, & ubi plus dæmoniorum erat? Hìc, an ibi? Non agnovit ſe dæmoniacum Chriſtus, inacceſſus enim dæmoni fuit, ſed Samaritanum ſe non negavit, nullum iſto nomine contumelioſius, & magìs infame: ſed ſtolidam opinionem confutavit Chriſtus, palámque fecit; faciliùs rudem fidei Samaritanum probari Deo, quàm ſceleſtum Iſraëlitam. Quò ſanctiore aliquis nequitiam palliat nomine, eò Deo exoſior. Rubore aliquando perfundent Iſraëlitas Samaritani: Chriſtianos, Gentiles.

Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes.

BEnedictiones ab alio ore CHRISTO veniunt,

niunt, ab improbis fragrantiora expectari ungventa non poterant, quibus stercus etiam in ore, utpote non procul à naribus distante, olet. Ex ore infantium, & lactentium perficiuntur Christo laudes: ex ore Pharisæorum convitia, & calumniæ. Quasi leve esset, aut nullum malum Hierosolymis, in metropoli Prophetarum, convitijs exsaturari, & professô odiô illud omne fingere, quo fædari queat invisi nominis sanctissima claritas. Quàm frequens, etiam hac ætate obtrectatio, quæ dicere, & scribere omnino sinitur, & novô quasi privilegiô donata, in immanis licentiæ non excusationem, sed laudem profert, quæcunque in buccam venerit, seu in calamum turpitudo. Nullum tamen detectæ frontis, & publicè furens odium, insaniebat solertiùs Hierosolymis, quàm ad infamandam Christi innocentiam. Quisquis eum, seu ex plebe, seu ex graviori populo criminari volebat, fas illi erat, nemine læsi Salvatoris suscipiente patrocinium. Calumnia audax saniora nequit loqui.

Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes.

PAtientiæ Christi, opponamus nostram: & quàm sibi dissimiles consideremus. Invaderet nos quispiam similibus, ùt Christus petitus, probris: nónne non paria tantùm, sed & pugnorum fœnore cumulata convitia recepisset? Jactatas in se contumelias, tolerantiâ solâ retudit Christus, calumnias immotus pertulit, agebat insigni modestia apud infestos causam, diluebat iniquissimè objecta, probra tamen in objicientes non retorsit, nec maledicta convitiantibus reposuit; probavit se à dæmonio immunem, sed illos dæmoniacos non dixit. Et justissimè quidem regerere poterat: Vos Samaritani estis, vos possedit dæmon, & vestro ore loquitur, in meo ore Spiritus Divinus verba sua posuit; sed ardentes tartareo furore lingvas, & animos, noluit ulteriore flamma succendere, modestissimè solùm attulit: *Ego dæmonium non habeo. Honorifico Patrem meum, & vos inhonorâstis me.* Sciebat instinctam, in lacerandos innocentes lingvam, rabiem æquare, dæmonem tamen tar-

tartareum, furorem hunc non dixit, neque exprobravit. Nos, si quis dæmones, aut Samaritanos succlamaret, audiret paria, neque quidquam est, apud impetitos frequentius, quàm ut sua in maledictos probra retorqueant, indebitè quidem, sed plerumq; non falsô; vix enim criminator, illius est insons noxæ, quàm appingit alteri. Petamus àDEO gratiam tolerandi contumelias, & lingvarum maledictarum tela.

Pro eadem Dominica.

Nunquid tu major es Patre nostro Abraham? Jan. 8. v. 53.

QUanta arrogantia,& fastus stultititâ plenus, hostium Christi! Contemnendum sibi ducunt ideo,quòd Abrahamo Patre sint nati; ex Abraham ergo hanc solam hæreditatem, quam certè successoribus suis non reliquit, arripiunt, ut se ab alijs superciliô, & ferociâ secernant,& in quemlibet contumeliæ jus sibi vendicent; at nè Caimo quidem convitia intentare, & injurias offerre debuerant, eâ solâ fiduciâ, quòd Abrahæ filij essent. Heu natales splendidi! ideóne beni-

nigniore ſyderum inſignimini radio, ut ad ſcelera vobis præluceat? Gratam potiùs impij Phariſæi memoriam conſervare Deo debebant, quòd à tam ſancto Patriaracha ſangvinem ducerent, cujus nomini inſignis in DEUM pietas, famam per æternitatem extendendam paravit, qui ſæculorum, quæ attigit, ornamentum, mundi columen, honor generis humani, ſed & humanitatis exemplar fuit. Quid barbari jactatis ſangvinem, quem degenere faſtu taminatis? Crepatis nomine, cujus probrum eſtis, & macula? Genus, & originem jactatis, à qua vos impia facta proſcribunt, & ſangvinem non ſuum abjurat Abraham, cui ornamentum unicum eripitis, dum Chriſtum paratis tollere. Sed quid iſta etiam ab Abrahamo deducta generis jactantia? Nullíne præterea reſtant fontes ſangvinis, ex quibus dignitas in poſteros trahi poſſit? Toties inquietantur majorum nomina, quoties ſplendidi tituli, probris nepotum adduntur. Plùs ornat inſignis probitas, etiam in viliſſimo diverſata tugurio, quàm per multa honorum inſignia, & potentiæ ſeriem deductum nomen.

Nunquid tu major es Patre nostro Abraham?

COgitaverint sanè Pharisæi, Christum Abrahamô minorem, ideóne domus Christi, quòd tenuiore censu amplitudinem Abrahami familiæ non æquet? Premenda, & impellenda, nè obstruere unquam auctos Abrahami limites possit: premendáne ideo est, ut suppedanea facta, stirpem Abrahami attollat? Miseram ambitionis sollicitudinem! quæ tenuitatem aliorum penes se non patitur, & ad mediocritatem etiam emergentes metuit, nè mora sint illi, vel obex crescendi, & quidquid in vicino est, nisì subjectum videat, inimicum credit. Has exitiales humano generi affectiones, aut pestes potiùs, non alia nocentior, & ferocior educat lerna, quàm inordinatus in carnem, & sangvinem amor, quo furibundè omnia humana, susdéque miscente, persæpe Abrahamo Christus cedere cogitur, impletúrque illud: *Passer invenit sibi domum, & turtur nidum. Ps. 83.* Cùm tamen turturi potiùs, quàm passeri domus conveniat. Illustris generis hæc labes, non raro obscurat monumenta ma-

majorum, & imagines illorum in idola vertit, potiorem nobilitatem, quam à DEO trahit, oblita. Stulta æstimatio, quæ potiorem Christô Abrahamum ducit, plúsque putat ex sangvine, & carne, quàm ex DEO nasci. Nimium memores fuerunt impij, continuatæ ab Abrahamo originis; O! quàm meliùs fidei illius, pietatis, & consummatæ sanctitatis meminissent. Quò eminentius genus est, eò magìs conspicuis virtutibus poscit illustrari. Utcunque imaginibus majorum exculta domus, ejúsque vestibulum fuerit, si ultra tituli frontem, admirandum & venerabile restat nihil, magnum inane, sub ingenti inscriptione propalatur.

Nunquid tu major es Patre nostro Abraham?

OMnes aliæ Pharisæorum ineptæ interrogationes, hac præsentis interrogationis ineptitudine, & stultitiâ superatæ sunt, dum à Christo petunt: Majórne esset Patre illorum Abrahamô? Id potiùs interrogare debuerant: An per vestigia Abrahami evasuri essent ad illud gloriæ fastigium, ad illud fidei robur, illam sublimitatem virtutum,

quæ

quæ æternitati, ſub Abrahami nomine, dedicata memoratur? Sed obliti neceſſariarum quæſtionum, impertinentiſſimè quæſrunt: Chriſtúſne an Abraham major eſſet? Credebant fortè, non plùs requiri, ut magni ſint, quàm magno Parente genitos eſſe: Cùm tamen diverſiſſima ſint iſta, magnum eſſe, & à magno parente accepiſſe ſangvinem, non ſemper magnorum parentum menſuram attingunt filij, ſoli enim Divinitati ea propria eſt incommutabilitas: *Qualis Pater, talis Filius.* Humana generationum ſeries, diverſiſſimas in hoc vices patitur, ſæpiúſque magnus decreſcit in Filio Pater, quàm ad Patris proceritatem ſuccreſcat Filius. Nec Abrahami quoque ſoboles, lectiſſimis ſolùm conſtitit; alios habuit Abraham velut ſtellas cœli, alios velut arenam per littora maris diffuſam. Neque proceri montes, leonum ſemper, aut elephantorum educant agmina, ſæpiùs in illis naſcitur ridiculus mus, ſæpiùs veſparum agmina, aut muſcarum globi evolant. In vanum ille, magnæ ſtirpis nobilitatem jactat, cujus ipſe magnum, & ignobile nihil eſt. Degeneres, & filiorum nomine indigni, & privigni potiùs

tiùs, quàm filij Abrahami, ſuſcitârunt quæſtionem, de majoritate ſui Parentis; ità ordinariè nunc etiam fieri ſolet; illi, qui nec viſu, nec conſuetudine, vel convictu, imò nec ex ſcriptura hiſtorica, utpote illiterati cognitos ſibi habent majores ſuos, ſed à fama tantùm accipiunt, quidquid de ſuæ domûs Proceribus ſciunt; illi vel maximè tanta contentione, tantâ arrogantiâ ſuos eſſe jactant, ac ſi hodiè, aut heri familiariſſimè illis convixiſſent, & victorijs, triumphíſque illorum pares, ipſi quoque victores, paria fortitudinis heroicæ documenta conjunxiſſent.

Nunquid tu major es Patre noſtro Abraham?

POſt multa fatorum Abrahami ſæcula, quæſtionem iſtam: *Nunquid tu major es Patre noſtro Abraham?* Tanquam nulli poſterorum ſolvendam difficultatem, degeneres Phariſæi moverunt. Adſcripſerunt Abrahami cineribus magnum nomen, cui vivo, & turpitudinem nepotum non ferenti, contraxiſſet fortè titulos. Humanæ plerumq; conſuetudinis ea cenſendi forma eſt, ut magna

gna

gna tum demum dicantur non pauca, cùm recesserunt; filijs præcipuè non insueta hæc cum Parentibus agendi ratio, ut illis magnum, vel Abrahami adsciscant nomen, cùm sepulchro illati sunt. Tunc enim conferunt in cænotaphia laudes Parentibus, quibus, dum viverent, querelæ, fastidia, molestiæ proveniebant non parcè à filijs. Profluunt, & operosè texuntur elogia mortuis, à quibus anxietati expectantium deposita est in Securo hæreditas. Si convixissent Pharisæi Abrahamo, fuisset fortè apud eos parvus Abraham, qui post fata factus est magnus Pater; at unicuique filio vivus, & defunctus Pater, magnus sit. Viventem Patrem honora, ut tibi credatur, cùm defunctum laudaveris: non illud quære, quibus Majores tui fulgent meritis, sed quibus tu factis origini tuæ fidem astruas. Magnis hæc à se intervallis distant, esse Patre magno genitum, & magnum Patrem similem sibi habere filium; satius est à bubulcis origine virtutem trahere, quàm ab inclita prosapia sinè probitate stirpem. Pete à DEO gratiam, nè in te compertum sit: *Heroum filij noxæ.*

Pro eadem Dominica.

Tulerunt lapides, ut jacerent in Eum, JESUS autem abſcondit ſe. Joan. c. 8. v. 59.

RApida perverſorum malitia, in deterius ſemper profecit, & acerbiora indies odia exeruit in Chriſtum; præiverant primò verborum acrimoniæ, mox contumeliæ ſecutæ, inſimulatus arrogantiæ, judicatus Abrahamô inferior, dæmoniacus per convitium appellatus, demum armatæ ſunt lapidibus in illum manus. Injuria, quam violenta lingva inflixerat, viſa eſt illis modica, nisì lapides intorſiſſent; impetum iræ, ſi primum coërcuiſſent, quod ſuadebat tolerantiſſima Chriſti, & ad contumelias nihil reponens manſuetudo, non deflagrâſſent tantæ in nocendum cupidines, neque tam funeſtô incendiô, ſuam amentiam inflammâſſent: ruit in præceps, & modum neſcit, nisì inter ipſa initia dometur iracundia, & cui nihil eſt, torquere in immeritos injurias verborum, torquere & lapides non magnum putat, & cui probra ab effreni lingva facilè excidunt, excident & lapidum jactus. *Tule-*

Tulerunt lapides, ut jacerent in Eum, JESUS autem abſcondit ſe.

JUdæi non vani terroris injiciendi gratiâ, diſcurrerunt ad ſaxa, ſed obfirmatô, & determinatô ad cædem animô, corripuerunt lapides. Vix enim contingit, ut feriendi alterius causâ, lapidem arripias, nec jacias. Quiſquis eam inhumanitatem deteſtatur, ut ſaxis petat alterum, manum lapidi nè admoveat. Faciliùs enim ſinus, & manus ſaxô oneratur, quàm jactus contineatur in manu, jam armata, & parata ad feriendum. Præſtat non aſperare bilem, quàm tumentem retundere: neque obvia, & perquàm paucis ars cognita eſt, ubi quis excanduit, & dicacitate ad maledicendi audaciam progreſſus eſt, non ad convitia quoque, & probroſa ſcommata decurrat; non famæ quoque infigat venenatos aculeos; non in vitam etiam ſtringat crudeles manus; cui enim promptus in famam alienam carpendam animus, non manus continentior erit, ad impetendam vitam, & crudelitas alienæ depaſtu famæ ſatiata, ſangvinem quoque intrepidè hauriet. Raró enim,

quem ſuſtinet ictum fama, declinat vita; & quæ ſaxa ad ſepeliendam inimicorum vitam projiciuntur, vix unquam non adobruunt famam.

Tulerunt lapides, ut jacerent in Eum, JESUS autem abſcondit ſe.

PRudentiſſima Chriſti cautio non ſe objicit furentibus, ſed cùm impotes mentis, & incapaces omnis conſilij, vel doctrinæ accipiendæ videret, furori ſe ſubduxit: tamdiu illorum vacavit colloquio, quoad lapidibûs non videret impleri manus: ſuſtinuit acerba opprobria, ſugillationes, calumnias, lapidibus ſe tamen ſubtraxit. Non dubius, rabiem illam, quâ accenſos vidit, non deflagraturam aliter, nisì ſe crudelitate, & ſanguine Innocentis ſatiâſſet; nullius æquè deſideriô ardebat Chriſtus, quàm patiendi, & obeundæ mortis, obviam tamen, & ſecuturam citò à lapidantibus mortem reſpuit; adfuiſſet hæc expedita, neque eo dolorum, & contumeliarum pondere incubuiſſet, crucem tamen Chriſtus expectare maluit, quòd hanc divino congruere placito, & deſtinationi nôſſet potiùs, quàm aliam

liam necem, quæ à lapidibus facilior videbatur, non extenta, neque multiplicata per tormentorum varietatem, & longitudinem morte. Si tibi mors pro Christo obeunda cordi est, neque lapides, neque crucem, aut tormenta alia, vel tortorem elegeris, sed nutum in omnibus divinæ ordinationis sequere, sive te hæc obrui lapidibus cum Stephano, seu crucifigi flagellatum cum Christo voluerit, excipe obsequente, & libente animo, quidquid de te statuerit DEUS.

Tulerunt lapides, ut jacerent in Eum, JESUS autem abscondit se.

NOn arduum fuisset Christi imperiô, imò nutu obrigescere furentium manus, ad jaciendos extentas lapides, aut certè concrescere lapidibus; sed maluit virtutem, quàm prodigia in opus diducere, furialibus non nihil cedendo odijs; non sola enim patientiæ laus est, si effervescentis impetus iracundiæ ferat, sed etiam si illis cedat. Contingit sæpe, ut, qui impotenti animo permiserunt frœna, vel lenitate ipsa satisfacere volentium asperentur. Depromas licèt blandissima, atque sacerrima verba, eò inso-

insolentiùs tument. Cedere potiùs maturè, quàm saxeam tempestatem expectare, non raro convenit. Utinam non omnia sint apud nos contraria, non cedimus impetentium nos violentiæ, sed potiùs probris probra, lapidibus lapides reponimus. Sinceræ patientiæ est, lapidi potiùs corpus, quàm irato verbum opponere, aut utrumque declinare,

Tulerunt lapides, ut jacerent in Eum, JESUS autem abscondit se.

PEtamus à Christo gratiam, nè unquam eum incurramus furorem, ut Christo inimici esse audeamus, sed potiùs ut lapides, & jactus in Christum vibratos ab alijs, nos excipiamus. Qui enim tam atroci tormentorum vi, amore nostri, in cruce occidi maluit, quàm pro suo placito indulgentiùs lapidari, quia hæc erat voluntas DEI, cur nos vicem in amando reddentes, lapides, & flagra, & cruces pro illo non sufferamus? *JESUS autem abscondit se*, inquit Evangelista, acsi diceret: abscondit se non à lingvis improborum, sed à lapidibus eorū. Nam sicut in rerum natura vacuum non datur,

tur, ità nequit ostendi locus, in quo possit esse aliquis à lingva absconsus, quæ, si, ùt verba solet, ità jacere saxa posset, indubiè excussus lingvâ lapis, longiùs, quàm emissa arcu sagitta iret, & remotissimè etiam distantem citiùs peteret, quàm se ille posset abscondere. At nihil opus est, ut obtrectantium lingva ad saxa provolet, cùm verba, aut pari cum lapidibus ictu succurrant, aut certè id magìs sentitur, & graviùs dolet, quod animum, non quod ferit cutem. Si nos itaque neque à lapidum, neque à lingvæ telis abscondere poterimus, utrumque pro amore Christi patiamur.

Dominica VI. Quadragesimæ.

Cùm appropinquâsset JESUS Jerosolymam. - - Misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, solvite, & adducite mihi. Matth. 21. v. 2.

TEmperare sibi quodammodo Christus non poterat, ut ab ea civitate abesset, quam

quam ut fugeret, & toto etiam orbe se ab illa divideret, illius impietas merebatur. Certè, ùt se primò scelerata urbs in conspectum Christo dedit, à Betphage, & monte Oliveti vertenda retro via fuerat, detorquendi aliò oculi, nè illos hostilia tecta, & execranda magìs, quàm ulla ferarum lustra, incurrerent: Christus tamen non aliter, quàm si illum amantium, suspirantiúmque exspectatio, & votorum frequentia vocaret, rapi potiùs eò, quàm ferri videbatur. Tot Jerosolymis erant, quos vel amabilissimi vultus Christi gratia læderet; tot, quibus non aliter respirare mos erat, nisì contemptus, & probra in innocentissimum efflarent Salvatorem; vel alijs inflammanda, & inspiranda in visceribus suis coquerent; fervebat inter ingratissimos certamen impietatis, quis majore dedecore beneficiorum memoriam aboleret; his tamen omnibus ultro se Christus objicit, & spatia sibi liberalitatis contrahi dolens, ultimò visurus malignos adit, licèt eam humanitatem furentibus irritamento futuram sciret. Innatum enim malignitati, ut odia eò majora reponat, quò majoribus se bonis senserit cumu-

mu-

mulari: ſtimulavit haud dubiè, & reaccendit ille, circumfuſi Chriſto populi plauſus, impiorum invidiam, & iras, nec illi continebant inter acclamantẽ plebem, ſed livoris plenas voces. Ingredere, benedicte Domini, ut maledictus egrediaris. Saluta Fili David triumphantis ritu Jeroſolymam, nunquam non immemor metropolitanæ ſalutationis, deducant te ad nos tripudiantium agmina, fruere populi leniſſimi favore, in immodicos titulos lætitiâ provecti: mox frequentiori multitudini inſtrues diverſum ſpectaculum, habiturus non plaudentium comitatum, ſed meritum ad pœnas, quæ jam maturuerunt. Hæc ſuos muſſare hoſtes, probè Redemptor noverat, hos de ſe à principibus inſtillari Jeroſolymæ ſenſus non ignorabat, urbi tamen ſibi funeſtæ, non paſſibûs magìs, quàm deſiderijs æſtuantibûs, & anxijs appropinquabat. Scilicet, cùm tot ſibi votis expetitam crucem nondum occupare poſſet, viciniorem ſaltem habere quærebat. Heu quanta comitum ejuſmodi circa Chriſtum ſolitudo! qui cruci accedere, vel ſibi crucem appropinquare non horreant. Illico nos percellit Jeroſolymæ no-

nomen, si in hac sciamus, vel suspicemur flagella nobis, & cruces imminere. Heu! nos abjectissimè desides, si nec configi cruci Christi, nec illi accedere, & appropinquare sustinemus! Succutiamus aliquando animum, & comites nos Christo festinanti Jerosolymam alacriter addamus. Nisì fortè etiam è longinquo atteri flagris metuimus, quorum nos meritò instanter, & audacter ingerimus. Explicemus tergum, qui meruimus flagellum.

Cùm appropinquàsset JESUS Jerosolymam. - - Misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, solvite, & adducite mihi.

DIversissima Christi, & Jerosolymæ studia illo tempore, cùm ipsam accederet, patuerunt. Propinquat Jerosolymæ Christus, hæc elongatur à Christo: prensat fugientem Christus, sed illa benignitate hac urgetur ad obstinatiùs fugiendum; Occupat ille propinquiore amplexu se avertentem, sed hæc furiosiùs, nexus ipsos amoris, barba-

barbara inhumanitate rescindit. Tum vel maximè adoleverant, & in summum excreverant invidorum odia, publicô consiliô destinata molimina, & omnia ad necem composita, ut non ab Jerosolyma tantùm, sed à vita etiam exturbarent tunc Redemptorem impij, cùm ille non minùs corpore, quàm perficiendi sua beneficia voluntate, eâque ardentissimâ urbem accederet. At frustra accusatur Jerosolyma, cùm hic modus agendi cum Christo, plurimis in consuetudinem abîjt. Peccator à DEO, eheu quantùm recedit! Admovet se misericordia DEI recedenti; sectatur, & fugientem retentat divina tolerantia, sed præceps, & cæcitate animosior, per abrupta se impellit, ut DEUM se quærentem effugiat. Injicit ità ruenti manum servatricem Gratia Divina, sed etiã hanc excutere, & calce abjicere, vel obterere audet sæpissimè scelus impudens: exhorresce ad tantam insaniam, non infrequentem hominibus. Vide, nè assuescas ad fugam DEI tibi accedentis: nónne vicinum peccatoribus experiris DEUM, qui tot, & tantas noxas illorum tam diu tolerat. Accede & tu illi: Heu satìs! imo nimium

diverſatus es in regione longinqua, O peccator! ſatìs ſiliquis paſtus, imò fame inter ſiliquas enectus, quanto tempore paſcendis te porcorum gregibus impendiſti, & in horum brutam ſpurcitiem, ab homine, & Filio DEI degener tranſiîſti! Tempus tandem eſt, ut ad Patrem tuum, hæc te infelicitas reducat. Profundè in animum demittant utinam peccatores, nè elongentur à DEO, cùm DEUS illis approximat.

Cùm appropinquâſſet JESUS Jeroſolymam. - - Miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſolvite, & adducite mihi.

DUo in præſenti actione conſideranda occurrunt: 1. Quòd, cum Jerolymæ appropinquaret Chriſtus, non Jeroſolymam tamen diſcipulos, ad conquirendum aſellum miſerit, ſed ad ignobile oppidum direxit. Innuere fortaſſe voluit, perſæpe plura, & promptiùs præſtari pro DEO à tenuioribus vicis, quàm ab ampliſſimis civitati-

tatibus. Hierosolymam expediti Apostoli, vel rediîssent inanes, vel contumelijs, si non gravioribus injurijs onusti. Aliud est, quod notari meretur: Christus non ante adduci sibi mandavit asellum, quàm Jerosolymæ factus proximus, adeoque plus longè itineris confecit pedes, quàm asinô, quo vehi destinaverat, conficiendum reliquerit. Certè nec asinum, nec illos, qui hunc perduxerunt, lassâsset iter, si unius, vel duorum spatiô dierum occurrissent Christo. An hoc est nostrorum ingenium asellorum? Ut, cùm quotidie nostris se sarcinis subdant deportandis, onus tantò minus est, ut sentiant, ut lasciviente etiam subsultent passu. Ubi Christus vel ad exiguum vitæ ferendus est, fatiscere se queruntur sub pondere asini nostri, & fractas imitati vires anheli procumbunt; non animus illis, non alacritas ad modicum operæ, in gratiam Christi perdurat. Plus itineris pedibus emensus Christus, quàm asino deferente: montem Christus pedes conscendit, nam venisse illum in montem Oliveti Evangelium ante memorat; quod autem planum itineris ad urbem restabat, asinô decurrendum reliquit. Heu! non

non erubeſcimus, quòd tam iniquè moleſtias dividimus cum Chriſto, & plùs aſino, quàm Chriſto parcimus. Pete à DEO gratiam, ut ſi te ſuum aſinum voluerit, illius te oneri accomodes; noveris præterea diſcipulo CHRISTI plùs convenire quandoque mitti ad oppidum, & caſtellum, quàm ad Jeroſolymitanam metropolim. Illuc te feſtinè, & hilariter conferre debes, quò te Chriſtus miſſum voluerit, non quò tu deſideras mitti.

Pro eadem Dominica.

Invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſolvite, & adducite mihi. Matth. 21. v. 2.

INjunctum Apoſtolis obſequij genus, quòd agaſonũ magìs peritiam, quàm Apoſtolicam requirebat. Nihilominus tantũ & Chriſto fiduciæ inerat erga Apoſtolos, ut hoc ab illis obſequium exigeret; tantum amoris, & obſervantiæ erga Chriſtum ſuperfuit Apoſtolis, ut operæ per quàm humili, magna ſe alacritate impenderent, imperata acceptarent alacriter, ad conquirenda jumenta, non

atten-

attenta Apostolicæ dignitatis authoritate procurrerent. Nec verò Apostolico nomini abjecta quantumvis officia, probrum afferunt, si Christi sumantur imperiô, apud quem æquè in solio, atque in stabulo regnatur, siquidem *non venit Regnum DEI cum observatione.* At non rarò disparent Apostoli, quoties humilior vocat opera; certatim verò currunt, si speciosus effulgeat labor, honorem sudori refusurus. Ad Pegasos, & Bucephalos Domino perducendos, non impigri veniunt; si autem ducendi aselli accurrant, hærent, torpent, & negotium, quô se dedecorandos credunt, alijs transmittunt. Turritus verò aliquis Elephas, quàm primùm comparuit, totum Apostolorum Collegium ad eum deducendum ruit: toti autem asellorum ad CHRISTUM ducendo gregi, unum ægrè Apostolum invenias. Impositum sibi Apostoli munus, quisquis æstimatione prudenti excipit, non minùs promptè versandis curribus, & agitandis, ducendísque equis intendit, si nutum Christi id poscentis viderit. Diversæ quidem, & à se multum dissitæ functiones sunt: asinos curare, & Sacramenta dispensare; sed æque, hoc

hoc atq; illud, pari alacritate exequi debet. Virtus Apoſtoli, nisì hic ſolô titulô Apoſtolicô noſci velit, non tantùm conforme, ſed & honorificum Apoſtolico nomini, obvia etiam, dummodo Chriſti uſui ſint opportuna, eidem adducere, ſiquidem benigniſſimo annutu Chriſtus, etiam obvia quæque, & abjecta admittit. Quis non optet, ut triumphum Chriſti elephanti, & generoſiſſimi equi, vel ad frœnos ſubacti leones inſtruant: ſed ſi ad manum hæc nobiliorum animalium ſervitus non occurrat, ſubjiciendi etiam aſini, Chriſti obſequiô nobilitandi, dummodo non pedeſtri inceſſu, triumphans Chriſtus Jeroſolymam deducatur.

Invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſolvite, & adducite mihi.

DUos à Chriſto miſſos Evangelium præſens memorat, alium qui aſinum, alium qui pullum ejus adduceret; minùs enim congruum videtur, ut labor duorum, ad unum devolvatur. Libenter aliqui à ſuis contubernalibus duci aſinos vident, quorum ipſi ductores eſſe nolunt, ſed ſpectatores otioſi. Et ratio dictat, & Chriſtus ordinat, ut

ut unicuiq; suum incumbat partitū in plures onus, quò meliùs ab universis feratur. Si duobus jumenta adducere injunctum est, nè labor hic ad unum tantùm pertineat, altero nonnisì teste, perducti ad Christum asini. Apostolicum Collegium meritis, & sudoribus diversissimis, campum latissimum aperit, sed otio nullum, & otiosis spatium relinquit.

Invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, solvite, & adducite mihi.

VIderunt toties Apostoli longis, continuis, & asperrimis itineribus Christum fatigatum; viderunt per latebras, & arduas cautes montosæ regionis pedibus incedentē, neque tamen unquam cogitationem susceperunt, ut aliquando asellum, vehendo Domino, adducerent; tum primùm ad hoc respexerunt subsidium, cùm illos disertè Christus ea de re monuit, & fieri id potestate Filij DEI mandavit: *Ite, solvite, adducite mihi.* Crediderim facilè, peti hìc obliquè Apostolos, dum sibi, fatigationum Christi obliti, abundè provident, dum sua illis, sive corrogata ab amicis vehicula, non

non desunt ad iter, soli Christo, necessitate relicta, pedibus iter emetiendi. Quæ impudentia probare id audeat? Si Apostolus nitente phaleris equo feratur, ut sponsum ad Hymenæum exsilientem credas; aut sexjuge vehatur rheda, dum Christus pedes incedit.

Invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, solvite, & adducite mihi.

POstquàm innotuit Apostolis, asellô Hierosolymam invehendum Christum, jámque eum viderent insidere jumento, nulla eos sollicitudo incessit, ut pro se quoque asinos, vel equos conquirerent; nemo illorum dixit: Nunquid cursorij satellites sumus, ut in ordinem peditum redacti, gradúque, & ordine distincti, circumpedum more, additamentum triumphi Christi simus? Eccur saltem ætate gravioribus, invehi cum Christo Jerosolymam non licebit? Nè mentio quidem ab ullo facta Apostolicæ dignitatis, licèt hæc videbatur requirere, nè circumfusæ, & Christum comitanti turbæ, culmina Ecclesiæ miscerentur, ac saltem equitationis discrimen, à vili turba, duces Chri-

Pro eadem Dominica.

Plurima turba straverunt vestimenta sua in via. Matth. 21. v. 8.

QUantô cum affectûs ardore, plebs illa Christum Jerosolymam duxerit, exactè Evangelista descripsit. Illud potissimùm notandum est: non alicujus ex magistratu, vel â sacro sacerdotum senatu authoritate permoti, non exemplô principum persuasi, Christo se comites addiderunt: sibi dux quisque ex illis eô fervore, & destinatione ingressum Christi in urbem promovit, ut perrupturi, & viam vi facturi viderentur, nisì illi, quem proclamabant Regem, portæ civitatis patuissent. Sed quid interest: quòd pauperum studio urbi inducatur Salvator, si inde à locupletibus exturbandus est. Gratissimum tamen Christo fuit pauperum obsequium, in quidquid sibi facultatis, & virium erat, amanter, & magna alacritate contulerunt. Non Christi invitatione, à domibus exciti suis, non pollicitationibus, & præmiorum illicijs tracti, in conferta densati agmina, ingressum triumphalem Chri-

ſti, frequentiâ maximâ ornârunt. Legiſpe-ritorum comparuit nullus, ex templo, vel civitatis principibus nemo: ſolô inope populô repletæ viæ, & Chriſti latera ſtipabantur, totúſque comitatus turba fuit. Deducebant pauperes pauperem; hi plauſus, & acclamationes ciebant, ſuúmque illud perpetim geminabant: *Hoſanna Filio David.* Sed continuatur etiam in hæc ſæcula deductus uſus, ut ferè cum ſolis pauperibus Chriſto conveniat. In comitatu Chriſti divitem fruſtra quæſieris, multò minùs audias laudes occini Chriſto à divitibus: turba eſt, quæ cohæret illi, quæ comitatur. Nónne plebecula tenui referciuntur templa? Denſantur ſupplicationum catervæ? Nec certiùs, nec numeroſiùs, quàm ex paupertina claſſe authorantur Chriſto copiæ.

Plurima turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via.

Eò plebis in Chriſtum aſcendit amor, ut ſibi detractas veſtes, quà tranſiturus erat, ſterneret. Copioſiſſimus autem ex Iſraëlitis quiſque ad Herodem uſque, & Caipham, de Chriſto ſpoliando cogitabat, parúm-

rúmique illis fuit calcare, quæcunque Christi fuerant, nisì & ipsum calcarent. Nonnulli modò sunt aliquantò mitiores, qui præposterâ liberalitate, ut Christi illustrent triumphum, viles lacernas sternunt, & regiam eidem purpuram detrahere non vereantur; sint tua tibi homo improbe, sed illis nè despolies Christum, quæ alij contulerunt. Nec tua vestimenta calcare appetit Salvator, nec se à te calcari; non deerunt unquam, qui se exuant, ut Christum vestiant. Avaritia nulla horret spolia ex Christo quærere, meliorum nitentia liberalitate: non squallebunt templa, erítque suus vel nudis altaribus honor, te quamvis manum ad dona contrahente. Nihil dederis potiùs, dum non attrectes illa, quæ alij DEO, & Ecclesiæ largiti sunt.

Plurima turba straverunt vestimenta sua in via.

TOties antea Christus Jerosolymas ingressus, nunquam tamen ea veneratione acceptus est, ut inter titulos regios nomen Illius caneretur, ut via detractis vestibus insterneretur: nunc, ùt primùm impositus

eſt aſino Salvator, circumſonant undique lætiſſimi cantus, palmæ, & veſtimenta congeruntur in vias. Tantum itineris ad uſque Oliveti montem confecerat Chriſtus, ad vicina civitatis ſuburbia, imò ad mœniorum conſpectum ſuggreſſus, nudam pedibus tellurem preſſit, ſimul ac inſedit aſinum, ut, quiſquis ex obvijs propior erat, exſoluta ab humeris pallia, pariter explicant, & ſubter ungulas aſini calcanda abjiciunt. Nónne exemplô Chriſti, per non inſtratam humum aſinus incedere potuit? Aſperiúſne ille ungulas atterit calcatâ terrâ, quàm Chriſti pedes? An pictis forſitan indutum cothurnis animal erat, hos inquinari lutô metuebat? Sed non novum aſino fuit cœnô tingi, quoties alias vectabat ſarcinas: nunc ſub Chriſto ſeſſore, viam ſibi pannis voluit emuniri. Itáne, cùm in bajulum Chriſti coaptatus aſinus eſt, tot commoditates, & obſequia exiget? Vult cantibus mulceri, & viam ſterni, & vix non pulvillos poſtulat? Infelicitas, ſed & probrum non leve eſt; ſi non alius, haberi indulgentiùs vult aſinus, quàm ille, quô Chriſtus vehitur. Aliô inſidente, collotenus demerſum cœnô hôc jumentum, greſ-

greſſum non cunctanter accelerat, ſi autem Chriſtum fert, per ſiccum, & æquum etiam iter reſtitat, nisì ſtragulis protenſis, aſperitas ſoli temperetur, ungulíſque conſulatur. Alibi latera, & lumbi aſini non parcè fuſtibus dedolantur, apud Chriſtum aſinus palmas, & veſtimenta calcat. Ad omnia ferenda incommoda promptus aſinus ſit, maximè qui Chriſtum portat.

Plurima turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via.

NOn aliena ſtraverunt veſtimenta, ſed quibus ſe exuerant, ad ingredientis veſtigia deponebant, qui eô officiô placere Chriſto quærebant. Nihil faciliùs eſt, quàm altaris, vel ſacrificij apparatum ex ſpolijs, quæ alteri detracta ſunt, concinnare. Noſtra largiamur Chriſto, ſi affluunt, quòd ſi tenuitas vetat eſſe munificos, decerptis alij lacinijs, Chriſtum nè veſtiamus, ſatiùs, nudos Eccleſia parietes habeat, quàm illos periſtromatis, & ſerico tegamus, quod non noſtri neverunt bombices. Tot veſtium volumina in ſcrinijs, ad tinearum damnata paſtus, nónne honeſtiùs ad Chriſti pedes

des projicerentur? Multi se circumspiciunt superbô, & sumptus immanes consumente cultu nitidi, & Christum videre nudum patiuntur. Vix non eremi storeas quandoque indutus, ad altare defert sacris operaturus Presbyter; adeò detritæ, veriùs lacernæ, quàm casulæ, mysterijs tantis admoventur. Tuum vocas solum, & pagum, cur non etiam probrum agnoscis tuum, quod in templi postibus, tituli domûs tuæ collucent, sacra squallent in templo: si friget pietas, vel pudor impellat ad domum DEI, ex illuvie, & sordibus attollendam. Si Christo largiri non libet, si porrigere de manu fastidis, vel in viam abjice, quod Christus colligat. Petenda supplicibus votis à divina Bonitate gratia, ut heroicam plebis pietatem in adornando Christi triumpho imitemur, hoc est; Christo triumphanti, non asino adsonemus; apertâ illum, non opertâ tellure, & surdis auribus inter cantantium, præcipuè inter tympanistriarum choros, incedere assuefaciamus.

Dominica Reſurrectionis.

Emerunt aromata, ut ungerent JEſum Marc. 16. v. 1.

SAncta licèt fuerat intentio Matronarum illarum, illam tamen, dum conantur implere, luſerunt operam; non obliquo alicui fini, vel ſperato commodo, ſed ſoli, & ſincero in Chriſtum affectui volebant obſequi, dum Corpus Ejus exanime in ſepulchro parabant ungere; Chriſtus tamen ungventa, & ungventarias minimè exspectavit. Si Petrus ſenex, cum Andrea hoc officij genus exequi voluiſſent, illorum fortè adventum tantiſper præſtolari potuiſſet Filius DEI, ſed mulieres exſpectare non placuit: ut doctrina exſtaret compluribus, nè ſibi, néve mulieri fidant, quantumvis etiam mortui videantur; periculoſum eſt, etiam in ſepulchro jungi mulieri. Cadaver ſanè exhibeas fætidum, bene olebis mulieri, ſi hanc cum balſamo admiſeris. Fæmina viva, & vir mortuus, nè ſe credant invicem à ſe tutos, nam ignis etiam putre lignum depaſcitur. Securior cohabitabit in ſepulchro buſo-

bufonibus, quàm fæminis, præſertim ſi ad breve tempus ſepultus ſit. Non ſibi triduani mortui, ea condimenta adhibeant, quæ celerius corpori inducere corruptionem nata ſunt, quàm odorem, Nihil defuit ad unctionem CHRISTI, nisì ille ſolus: aromata, ungventarius locus, & ungventariæ præſtò erant, ſed quia ſubduxerat ſe JESUS, effectum cætera omnia non dederunt. Unde patet 1. quòd fragrantiſſima etiam ungventa neminem alliciunt ad ſepulchrum, aut ibidem retinent ſepultum; deinde non quilibet ungit, qui vel oblectando alicui, vel macerando, aut honorando, nobilitandóque condimenta coacervat. Indubitatum crediderant mulieres, non deplenda tantùm uſu ipsô, & libanda aromataria vaſa, quæ attulerant, ſed exhaurienda etiam, unctione ſacrâ, at intacta hæc manſerunt illis. Adeò non novum eſt, etiam ſanctas intentiones hominum fruſtrari fine. Quid verò de illis dicamus, quæ penitùs, quod peregrinum ſpirant, nihílque ex illo odore habent, quem Chriſtus non averſetur, ſi allinatur ipſi. Intentionem mulierum benigniſſimè acceptavit Chriſtus, ungventa rejecit.

jecit. Volebant ungere, & copia fuit aromatum, sed Angelus Domini aliud illis indixit obsequium. Cæterùm nulla illarum dispositioni Divinæ restitit, neque dixit: Perbellè equidem egit nobiscum Christus, nos tanta alacritate accurrimus, tanta sollicitudine ungventa paravimus, Ille verò, & devotionem, & aromata nostra fastidit! At neque balsama, neque devotio mulierum fastidio fuit Christo, sed cùm jam oleret satìs, odoramenta mulierum recusavit.

Emerunt aromata, ut ungerent JEsum.

ACceptô nuntiô, quòd Christus viveret, exciderunt, credo præ lætitia, alabastrina vasa, manibus mulierum. Maluerunt illæ Christum vivum, odoramentis non tinctum, quàm unctum exanimem. Ingenium mulierum, & fortè non paucarum est, quòd balsamum potiùs, quàm cor in Christum malint effundere, libétque magìs splendida, & quæ se ad aliorum sensum diffundunt officia impendere, quàm quorum cor tantùm est conscium. Placet nardo, & opobalsamo non parcere, quia ex hoc redit etiam ad ungentes sua oblectatio, cùm secundùm o-

 pi-

pinionem vulgi , aromata impenduntur mortuis, ſecundùm rem vivos recreant. Illius pietatis ſenſum quôvis pretiô redimunt domicellæ hujus ſæculi, cujus oblectatione remuneratur ſenſus; & ſic, quæ emerunt, vendunt aromata olfacientibus. Non excluſerunt per ungventa intimum cordis affectum mulieres ſanctæ, ſed teſtatæ ſunt: utrumque enim conjungi poteſt, imò debet. Operum piorum oleô ungi, orationes noſtræ poſtulant, nè jejunæ areſcant, cùm vota, & munera DEO reddita, ex offerentium affectu naturam accipiant, & pondus. Quamvis hoc mulierum officium blanditias potiùs, quàm pietatem ſpectâſſe videbatur; cæterùm ad teneritudinem blandiendi, progredi cum DEO licitum eſt, ſæpéque DEO gratior teneræ conſcientiæ, & blandimenta ſuſpirantis, ad ſinum Bonitatis infinitæ recurſus, quàm rudis oratio, minimè ad eloquia DEI, & ad colloquendum DEO perpoliti animi. Quiſquis Chriſtum ungit, DEO non jejunè loquitur: videat quiſque, quô ſtatu ſit devotio illius, quam DEO præſtare debet. Lapideſcunt fortè in corde arido orationes, & iniquitas bullit in ſuo adipe,

pe, tempus est, ut tandem marcescat nequitia, & pietas Christiana impingvetur.

Emerunt aromata, ut ungerent JESUM.

UNgventa illa mulierum, aut relicta in sepulchro, aut locum, in quo positus erat JESUS, reverentiæ causâ unxerunt. Non dubitandum enim, quòd liquores illos odoratos, nunquam deinceps usui suo adhibuerint, quos semel DEO dicaverant: contingit autem frequentissimè, ut Christo ungventa parent, & se ipsos ungant. Opinione citiùs oleum illud vanescit, & arescit, quod Christo perfundendo, cogitatio humana seposuit. Aromatarij, & ungventariæ hujus sæculi, nulla potiùs myrothecia adeunt, & evacuant, quàm quæ Christi unctioni destinaverant. Quidquid semel DEO dicâsti, nè sordidè concupiscendo libes, & turpi pœnitentiâ, velut musca mortua, fædes balsamum, aut corrumpas, quod ungvendo Christo præparâsti. Illum odorem tibi Christus refert, quem ipsi illeveris; & quô ungventô à te unctus fuerit, ibidem tibi redolebit; neque tu aliter Christo olebis, quàm manus tuæ olent operum tuorum, &

fra-

fragrantiæ præſentatrices. Quidquid hæ, earúmque ſpongiolæ diſtillaverint, id tinget, & imbuet Chriſtum, cujus unctio, naribus ſuis admota, eundem illis odorem adſpirabit.

Ex eodem Themate.

Emerunt aromata, ut ungerent JESUM.

QUid non præſtitiſſent Chriſto viventi, fideles ipſius famulæ, ſi mortuo tantum teſtatæ ſunt affectum? Non ſolùm liberaliter profuderunt ſumptum in aromata pretioſa, ſed evidenti ſe commiſerunt periculo in adeundo ſepulchrum; & prægrandi obſtructum lapide ab hoſtibus Chriſti, & ſigillis munitum. Noverant mulieres, nihil mortuo olere, & nihil fætere; neque odoramenta ſolatium illi, neque fætores moleſtiam afferre poſſe: ungventa nihilominus fragrantia abunde parârunt. Neque enim meritò, quis eam illis impingat cenſuram, quòd ingenio ſexûs, etiam ſepulchro balſama, & ſeplaſiam libentiſſimè inferrent mulieres: potiùs enim communes merentur gratias, quòd Domini ſui, & noſtri, ultra vitam meminiſſent. Ex uſu enim

enim communi est, quòd cum vita amatorum amicitia, & benevolentia extingvatur. Affectus Matronarum sanctarum superstes fuit morti. Hinc verò patet, quòd, quisquis erga viventem JESUM, verô afficitur amore, non illi subrepit oblivio exstincti. Verus amor non alacriùs debiti obligationem profitetur vivo, quàm exoluit mortuo. Frequentiùs tamen invenias illos, qui in Cana Galileæ propinent vinum Christo, ex illius fonte depromptum, ad mensam confidenti, quàm ut quis balsamô propriô mortui exequias, & monumentum honoret: potiùs inveniuntur plurimi, qui non balsamo, sed oleo simplici parcunt, impendendo lampadibus, Sepulchrum Christi collustraturis. Etiam ex illis, quæ ad ostia tabernaculi excubias sibi gloriosas putant, quas devotionis professum studium, aut nomen populo exemit, ex illis, inquam, longè plures reperias, quæ de facie polienda, & pingenda sollicitæ, stibium, & eliquata cynnama medicandis vultibus congerunt, quàm illas, quæ Christo ungendo aliquid impendant: tingunt in rosas, & corallium genas suas, aversæ à JESU facie, quam livor, &

& cadavereus pallor ità involvit, ut ambiguum vel ſcientibus oculis faciat, cujuſnam facies ſit.

Emerunt aromata, ut ungerent JESUM.

MUlta fuerunt, quæ arcere poterant, imò repellere fæminas ſanctas, ab illarum pientiſſimo deſtinato. 1. Sexus pavori naturâ ſuâ obnoxius. 2. Illud totum, quidquid ante triduum in monte Calvariæ viderunt. 3. Armata militum cuſtodia, ſepulchro circumdata, & lapis advolutus monumento, prægrandis mole, à non ternis tantùm, ſed nec terdenis fæminis movendus. 4. Incommoda matutinæ ſurrectionis moleſtia, quam non tacet Evangelium. 5. Impenſa non levis in pretioſa aromata. 6. Exemplum Apoſtolorum, quorum nullus auſus, quòd fæminæ volebant aggredi. 7. Non ſubjecta fallendi periculo Chriſti veracitas, qui ſe tertiô die reſurrecturum affirmavit. 8. Metus prudens, nè vulgi opinio, ceu leves, & inconſideratas traduceret: nè inſultationes, & convitia, his ſimilia provocarent. Ridendam ſanè pietatem, quæ in mortuo imbuendo odoribus ſatagit, cùm frixiſ-

xisset circa vivum, quem trucidari permisit. Sumptus, quem oportunè balsamum sorbet, in mortuo consumendum; impenderetur potiùs vitæ JESU protegendæ. Nihil horum excusserat animum mulierum: aut illarum proposito, quod piè susceperunt, moram fecit. Exigua omnino spes esset, cujuscunque operis, & obsequij Christo debiti, ad maturitatem perducendi, si auras rumorum, & lingvas hominum timeamus: sugillabatur & Magdalena, illa tamen, dum suo institit proposito, Christi laudem promeruit. Promptissimè, & libentissimè vitam suam, Christi vitæ servandæ, impendissent sanctæ fæminæ, sed quia negabatur facultas, dederunt saltèm balsamũ mortuo, eô affectu, quô sangvinem erant daturæ vivo. Timidæ erant, non quòd homines timerent, sed DEUM, nè à cultu ejus abducerentur. Timor Sanctorum est, non humano terrori cedere, sed vereri DEI offensam. Non expectârunt Apostolorum exemplum, utpote ipsæ factæ Apostolæ. Persancta æmulatio est, dum contenditur, quisnam plùs pro Christo operetur. Non semper sexum pavor, aut fortitudo distingvit,
vel

vel comitatur: jam Christum redivivum Apostoli spectaverant, foribus se tamen muniebant clausis, ob metum Judæorum; in mulieribus ea formido spectata nunquam. Utì longè majora ausæ sunt, sic & incommoditati minori cedere, putabant indignum, cùm intelligerent optimè, non tangi commoditatibus animum, qui spectat, parátque iter ad sepulchrum. Quidquid DEI causâ destinamus, magnô aggrediamur animô. Exempla aliorum non exspectemus, sed alijs exemplo simus. Sumptibus pro DEI gloria non parcamus, qui multiplici lucrô refunduntur.

Emerunt aromata, ut ungerent JESUM.

ADmiranda DEI circa sanctas mulieres providentia, nos quoque animosiores reddit. Fugiebant Apostoli, immotæ, & impavidæ illæ contra pericula omnia fixerunt vestigium. Sexum imbecillem elegit DEUS, ubi magnîs animîs opus erat, ut confunderet fortitudinis exempla, palámque faceret, quòd etiam fæmina armatos aggredi, & impellere potest, ubi Dominus exercituum animos, & vires inspiraverit. Tres fæmi-

fæminas, quibus pro armis aromatarij onyches erant ad manus, immisit hostibus suis Christus, & ad votum superiores discessererunt: quælibet illarum Juditha fuit, Holofernémque cum suis exercitibus duxit nihili; hostium etiam plurium excisa tulissent capita, si annuisset JESUS; adfuit nempe subsidio illarum DEUS, nec quisquam contra stare poterat. Aderit quoque nobis, modò velimus pro DEO impavidè agere, & audere; neque nos à mulieribus vinci permittamus.

Pro eadem Dominica.

Valde manè unâ Sabbathorum, veniunt ad monumentum, ortô jam Sole. Marci 16. v. 2.

AUt festivô jocô petitæ sunt mulieres ab Evangelista, aut laudes illarum mysteriis permistæ. Asseruit, valde manè illas surrexisse, & addidit: unâ die Sabbathi; innuens, unicum illum fuisse diem adeò felicem, ut ausum hunc mulierum, planè heroicum spectaverit, quô à suis avulsæ plumis, abstersô, qui oculis incubabat, somnô, e-

merſerunt. Alterum eſt notandum: ſurrectionem fatetur admodum matutinam fuiſſe, addit tamen, *orto jam ſole*, non in ipſo diluculo, ſed poſtquam conſpicuus omnibus ſol ab ortu refulſit: cùm tamen ſtertere potiùs, & marcere ſomnô videatur; non à torpore, & ſomnolentia vindicare temporis, & vitæ brevitatem ille, cui non aurora, ſed ſol ortus ſomnum abrumpit; ſed nihil eſt, quod in verbis allatis miremur. Hoc tempore, ortô videlicet ſole, domum, vel templum adiîſſe, non manè videri poterat: ſed multum manè fuit, adire ſepulchrum, ad quod nemo volens feſtinat. Imò tum vel maximè, renitente paſſu accedit quis ſepulchro, cùm illi primùm ſol oriri, & affuſo benignè lumine blandiri, & ſplendoris progreſſus ſpondere cœpit. Profectò ſexu major mulierum iſtarum magnanimitas, quòd tam alacres ſepulchrum peterent, dū ſol illis amœnus exoriri, & jucundô arriſu diem, ulterioremque lucis allapſum cœpit polliceri. Non ignorabant ſcilicet, exſtitiſſe neminem, qui ſerò ad ſepulchrum pervenerit. Maturè conſtiterunt ad illud etiam iſti, qui longô poſt alios intervallô, iter ſunt

in-

ingressi. Et nos cursus noster, utcunque illum inhibere voluerimus, sat citò in meta hac sistet, & præcipitem potiùs, quàm lentum credemus passum, qui eò nos admovet. Non itaque studium hoc nostrum, cogitatione, & spe per occasus limitemus, & vesperum per seriò declinantes in umbram, annos extendamus: allabetur nobis terminus noster, antequam nos illi credamus allapsos. Paratum quemlibet ex nobis mors, & manè, & meridie inveniat, certúmque habeamus, ut plurimùm compleri sepulchra cadaveribus hominum, orto sole.

Valde manè unâ Sabbathorum, veniunt ad monumentum, ortô jam sole.

FOrtasse ideo post ortum solis à mulieribus visitatum sepulchrum, quòd eô etiam tempore inventuras se ibi Christum crederent. Sua quidem illas lusit credulitas, si hanc conceperant: cæterùm alius quispiam mortuorum non refutâsset opinionem hanc, immotúsque adventum visitantium exspectâsset. Perquam enim rarum est, ut nostri mortui tam festinanter, tam promptè sepulchrum deserant, ùt à Filio

lio DEI factum; maximè si moles ingentis saxi premat mortuum, eíque egressum obstruat; si opposita sigilla credantur sanxisse, nonnisì per nefas violandam legem, ad sepulchrum minimè deserendum: si iniquitatis mysteria,in authoritatem convalescant, non facilè alicui attrectandam: aut si tumulatus speret, affuturum quempiam,ungventorum non parcum, & ungendi artificium callentem,quo vindicetur à corruptione,& fætore suum cadaver: qui scilicet benignâ interpretatione mendaciorum, & adulationum misturâ, atrocitatem sceleri demat, vel demere se polliceatur. Si tabô etiam, & sanie diffluentes in monumento Lazari, nanciscantur sororculas, tam in ungendo exercitatas, & consultas, ut suis medicaminibus unguentarijs aggestis, possint fratris obruere, vel cohibere purulentiam, nè fæteat: hoc si fieret, spectaremus Lazaros,tardissimè ex monumento prodeuntes, ad magnas etiam, & iteratas voces, ac lachrymas Filij DEI. Impietas sepulchrum, assuetudo peccandi pondus prementis saxi præstat, imò superat iniquis. Quisquis ungit mortuos, nè fæteant, quisquis adulationes sublinit

linit peccantibus, jacet eidem mersus sepulchro, eôdem pondere, & sigillô, parem sibi cum illis munit interitum. Itaque sepulchrô quisquis tenetur, quàm primùm indè exeat: ità tamen, ut Angeli mereatur testimonium: *Surrexit non est hic*, ampliúsque DEO, & sanctæ non moritur æternitati; aliàs minimè illi festivum carmen: Allelu-ja, occinemus, qui marcidus in sepulchro prosternitur.

Valde manè unâ Sabbathorum, veniunt ad monumentum ortô jam sole.

SÆpiùs invisendum est sepulchrum, quàm domus propria. Ideo mortis timore homines ultrà debitum percelluntur, quòd vix unquam sepulchrum memoriâ adeant. Non tantum commodi affert notitia, de securô valetudinis suæ, & immobili statu, si hic contingere alicui potest; quantũ juvat meminisse mortis certissimæ, sed incertô tempore, & passu inobservatô adrepentis. Neminem mors cogitata conficit, sed vita actu in mortem, & vitæ terminum desinit. Evolvimus vivendo stamina nostra, quæ ubi per demensum horarum, & minutorum

ſunt circumducta, implent glomum, & finiunt. Nemo moritur, nisì quem lex naſcendi morti addixit. Nullus non dies, & hora morti nos applicat, & mortem nobis. Lictoris legitimi manus, mors ſubit: manum injicit nemini, nisì in quem à Judicio æquiſſimo, permiſſa poteſtas. In nullum ſtringit ferrum, nisì in quem lege agi pronunciatum fuerit. Conſueſce homo familiariùs cum morte, quàm cum vitâ agere: in ſingulis vitæ muneribus, illud ſpecta, quòd per hæc vicinior morti fias. Blandimenta vitæ, ſic tibi dulceſcant, ut amaritudinem mortis agnoſcas ex his, tanquam ex primo fonte promanare. Plurimi, dum viverent, à ſepulchro cogitationem divertere laborârunt, non effecerunt tamen, quò minùs illi proximi fierent. Imò cunctantiùs aggreditur mors familiares, vel diſſimulatione longiore ſeponit, nec cupidè rapitur ad ſpolia quærenda ex ijs, quos inter domeſticos numerat, ſed in ignotos, & hoſpites falcem acuit. Morti mors eſt, quicunque illam mente retundit, & exarmat, quiſquis prævidet. Jugis memoria mortis, non ſepultæ in ſua triſtitia mentis, ægritudo eſt,
ſed

sed gaudiô animatus sonus, informans illud Alleluja, quod sanctæ mulieres à sepulchro protulerunt. Ideò non solô sanctô Parasceves die, in sepulchro Christi, & in crastino in Emaus, & postridie inter clausas cum Apostolis januas, licet festivô defungi plausu, ad geminatum multoties Alleluja.

Pro eadem Dominica.

Nolite expavescere: JESUM *quæritis Nazarenum*. Marc. 16. v. 6.

QUid illud fuit, quod mulieres timuerunt? Sepulchrúmne, an juvenem in sepulchro conspectum, quem ibi præter omnem opinionem suam invenerunt? Sepulchrô terreri non poterant, hoc enim nemini probo metuendum; à juvene potiùs in sepulchro sibi metuant mulieres. Non equidem etiam senes securas esse sinunt; nam & in putri ligno opportuna pabulum invenit flamma: & scintillans à facie Susannæ fulgor, fomitem in senibus nactus, in flammam adolevit. Multò promptiùs tamen dira hæc incendia emicant juvenibus, quos ubi occasio scintillæ admovet, veluti

piceæ faces concupiſcentia utrinque inardeſcit. Fæmina, quæ ad conſpectum viri cohorreſcit, utcunque ab incentivis libidinum ſecura eſt; ſed illæ audentiores Amazones, quæ prælia movent juvenibus, non maturiores ipſæ, & citiùs quàm putant, ſuccumbunt. Metuite vobis etiam in ſepulchro à viris fæminæ, maximè tamen ille timendus interdum eſt, qui ſe non timendum affirmat, ingeminans identidem: *Nolite timere.* Ille timendus, qui non terret, hic enim promptiùs decipit. In ſolius Chriſti, vel Angeli conſortiô ſecura fæmina, minimè verò in aliorum poteſt eſſe ubique.

Nolite expaveſcere: JESUM quæritis Nazarenum.

NOn timore tantùm, ſed & admiratione defixas puto mulieres fuiſſe, quòd loco Chriſti mortui, vivum, & elegantem juvenem in ſepulchro reperîſſent. Minimè tamen mirandum eſt, quòd non confectus annis ſenecio, ſed adoleſcens ſit inventus; videmus enim ſæpiùs adoleſcentibus ſepulchra referciri, & ex mundi uſu eſt, ut ſenes ad Xenodochia, juvenes ad ſepulchra divertant.

tant. Hoſpitalia in mundo, pro ſenibus domicilia ſunt, ſepulchra pro juvenibus. Illud mirari poterat fæminarum devotio, quòd ſepelîſſent alium, & alium in ſepulchro ſpectarent viventem; illa verò gaudiô admirationi permiſtô digna reſurrectio eſt, quæ reſurgentem alium omninò exhibet. Illud etiam admirationem movere poterat: quòd pro ſe alium Chriſtus in ſepulchro reliquerit, cùm tamen vicem alterius, nemo ſubeat in ſepulchro. Occurrere potiùs & illud mirandum, quòd ad ſepulchrum in trophæum, de victâ à Chriſto erectum morte, nihil pretenſionis habere juvenis ille potuit, qui poſitus in paraſceve extra periculum, neque flagellatus, neque crucifixus fuit. Illi enim tantum monumentum gloriæ, intra quod condatur ſperandum, qui ad metam ultimam, per Chriſti veſtigia, inter flagra decurrit. Quid ſi etiam illud miratæ ſunt mulieres, quòd adoleſcens nè in ſepulchro quidem ſepeliverit cupiditatem, ad ſerendos ſermones cum mulieribus. Loquacia admodùm animalia ſunt, vir juvenis, & fæmina: loquentur ſibi etiam in ſepulchro, ſi vicinos tumulaveris; procul tamen omni

censurâ erunt, si ad eum loquantur modum, quem Evangelium describit: congruum quin imò est, ut hunc cum fæminis juvenem non expediamus hodie à sepulchro, sed loquentem de Resurrectione Domini audiamus attentè, & non impar illis, de Resurgente Christo, colloquium instituamus.

Nolite expavescere: JESUM quæritis Nazarenum.

RAtio, quâ vetat Angelus timere mulieres ad sepulchrum accedentes, fortissima est; JESUM inquit Nazarenum quæritis, non quempiam alium, qui mundi, & suo amori vos mancipare poterat vivus: si per sepulchra, & ossium congeries, vestros quæreretis amasios, jure timeretis: nam amori lascivo maximus terror à sepulchro est, sed JESUS etiam in sepulchro terret neminem: nè metuite ingressæ sepulchrum, si, dum ad istud iretis, non timebatis: sæpiùs contingit, non unam Salomem imperterritam pergere ad sepulchrum, dum sæculô relictô, religioni se parat includere: jam ubi eò delata est, metu percellitur, & putat se inter cadavera collocatam, Cunctatur mundo mori,

ri, & secum sepelire mundum, pôstquam in sepulchro constitit. Posset etiam fæmina-rum timor in eam causam rejici, quòd Resurrectionem Christi extimuerint, nam Christus non aliàs terribilior fuit Apostolis, quàm post resurrectionem, certúmque est, non festivum tantùm, sed & metuendum Alleluja esse posse.

Nolite expavescere : JESUM quæritis Nazarenum.

JUvenis mulieribus in sepulchro visus, apparuit quidem nitidus, & excultus ad eam elegantiam, quâ suos cincinnatos mundus, & luxus componit, sed in colloquio Angelum retulit, nihil nisì de Christo locutus, & de ejus resurrectione gloriosâ. Sunt nonnullj, qui coram fæminis speciem sibi circumdant Angeli, sed colloqium procos ostendit, dum sibi, non Christo illarum affectus lucrari volunt. Timete istius formæ angelos mulieres. Angelus hic in sepulchro, tribus semel locutus fæminis, non prehensam manu Magdalenam duxit seorsum, Mariâ Salome, & Mariâ Jacobi relictis: non illos hic Angelus imitatus, qui ad aurem lo-

qui

qui fæminis parum esse putant, nisì os ad os colloquia applicent: non etiam diuturnô eas sermone detinuit, & colloquij spiritualis pabulum per moram instillavit; annuntiatâ Resurrectione Christi: & ubi Hic requirendus esset; digressus, officiorum blanditijs omissis; mulieres etiam suum arripuerunt iter plenæ gaudiô, illis, quæ retulit Angelus, firmissimâ fide credentes. Inutiles non moverunt quæstiones, aut prolicuerunt jocos; sciverunt, nuntiantem esse Angelum, ideoque narranti crediderunt. Sunt nonnullæ, quæ disceptant cum Angelis, & faciliùs credunt, si quidpiam illis de Christo affirmet scriba quispiam de trivio, quàm Angelus, mysterijs divinis eruditus. Contingit & illud, ut fæminæ ludimagistrum in angelum transforment, & angelum in rudem trivij, & in primis elementis consenescentem magistrum. Discant ab Angelo hoc spiritûs directores, modum colloquendi fæminis, & à fæminis fæminæ discant, quomodo colloquantur mysteria cœli nuntiantibus, & exponentibus. Petendum insuper à DEO, nè ibi timeamus, ubi non est timendi necessitas.

Pro eadem Dominica.

Jesum quæritis Nazarenum, Crucifixum, surrexit non est hîc. Marc. 16. v. 6.

NOn dubito gratum fuisse Christo, quòd eum in sepulchro ancillæ, pietati obsequentissimæ, invisere voluerunt. Quanquam enim Christum non repererunt, voluntatem tamen illarum promptam, ità remuneratus est, ut destinaverit Angelum, qui adventum illarum præstolaretur, & diceret, quônam in locô Christus quærendus, & infallibiliter inveniendus esset, non aliunde enim certior notitia de Christo acquiritur, quàm à sepulchro. Sepulchrum ipsum supplet vicem angeli, & quisquis illud interrogaverit, discet, ubi Christus inveniendus sit. Ideò à plurimis non invenitur JEsus, quòd de illo, neque angelos percunctentur, neque sepulchrum. Plerumque ab illis notitiam de Christo quærunt, qui nullam habent: quid de Christo mundus in sua vicissitudinum, cupiditatum, perturbationum farragine sciat? Quid domus, quid aula noverit, quàm cubilia vitiorum? Profectò mensa referta cupedijs, lectus delicijs dicatus,

tus,cubiculum intimum,arcanorũ,atq; forſan erubeſcendorum conſcium; neſcit, ubi Chriſtus agat,ubi cubet. Præmonuit de certo genere hominum in Evangelio Chriſtus: *Si quis vobis dixerit: ecce hìc eſt Chriſtus,aut illic: nolite credere. Matth. 24.v.23.* Et meritò, nemo enim faciliùs decipit, quàm ille, qui ad Chriſtum, ſibi minimè cognitum, monſtrat iter, non Chriſti, ſed Antichriſti veſtigijs tritum. Sepulchrum interrogetur, ad quod omnes viæ, & ſemitæ, non hominum tantùm, ſed & Chriſti deſinunt,ibi facillimè indagatur Chriſtus. Et ab horto Gethſemani, & à prætorio, & à Caypha, aut monte Calvariæ, viæ Chriſti, & cujusvis hominis, quàcunque ſinuentur, & evagentur, ad ſepulchrum coincidunt. Sepulchrum cuilibet indaganti, indigitabit Chriſtum, non aliter ac divus Joannes, inclamando: *Ecce Agnus DEI. Joan. 1. v. 29.* Diſcamus igitur,ex quo nobis quærendum ſit deChriſto, ut ipſum invenire poſſimus.

Nolite expaveſcere, JEſum quæritis Nazarenum,Crucifixũ,ſurrexit,non eſt hîc.

INſignis prudentia, & ſtudium honeſtatis relu-

cet in Evangelicis fæminis : cùm in sepulchro non reperîssent Christum, sed loco ipsius elegantem, & cultu splendidô juvenem, alloqui eum sic poterant: Pro absente Christo, te bone juvenis ungemus, redundabit in illum officium nostrum, cujus te servum agnoscimus; locus tibi ungventa addicit, nè cadaver, & sepulchrum redoleas. Non sunt in hæc vel dicenda, vel cogitanda dilapsæ, tota mulierum cogitatio, & desiderium in Christo hærebat: hinc quærentibus, impertinens videbatur in Angelum incidisse, ideoque teneritudinem affectus, erga Christum conceptam, ad Angelum non reflexerunt. Emicabat in hoc vernantis juventæ, formæ dignitas, vestimentorum nitor, proferebat se à vultu illius, non una gratiarum illecebra, non ambiguè tamen cognoverunt, Christum non esse: adeoque affectum Christo debitum, non verterunt ad Angelum; non enim fidentiùs affatæ, non officia humanitatis, non dulciora colloquia miscuerunt, audire, quàm sermocinare maluerunt; neque enim ullum ipsarum verbum adnotatum est in Evangelio: expendebant sollicitæ loquentis Angeli

li dicta, sed tacitæ. Non lingva illis, se agitandi, non intellectus discendi cupiditate, pruriebat: non quæstiunculis aggressæ Angelum: quânam ex Hierarchia, Cherubin, an Seraphin esset? Quamdiu illas in sepulchro expectâsset? Quodnam telæ genus esset, quod in niveo paludamento splenderet? Unde peti posset? Num lacinia ejus tegminis posset haberi ab ipsis, quo simile textum aut comparetur, aut efficiatur? Id unicum volvebant mente, cujus gratiâ venerant. Votum erat, vel columbæ alas induere, ut quantocyus à sepulchro evolarent, & quem quærebant invenirent, & quia non Angelus, sed Christus fuit in desiderio, ideò relictô Angelô, Christum sunt secutæ.

Nolite expavescere. ! JESUM quæritis Nazarenum, Crucifixum, surrexit, non est hîc.

ETiamsi viderant mulieres Christum non esse in sepulchro, & locum vacuum in quo positus fuerat; Angelus tamen non omittit dicere: *Surrexit, non est hîc.* Jure meritô videtur narratum ab Angelo, quòd Christus præcessurus erat mulieres in Galilæam,

læam, non enim scire poterant, ubi degeret sepulchrô relictô: sed cui bono fuit dicere: *Surrexit, non est hic. Ecce locus, ubi posuerunt Eum?* Nónne hoc in oculis erat spectantium? Ideò fortassè, quòd certitudo major à relatione angelica, quàm ab oculis fæminarum resurrectioni adstrui potuit. Pronum fuit opinari, Christum phœnicis more, à morte renatum, juventæ, & primo vigori redditum, illum ipsum candido nitentem vestitu, assidere: juvat persæpè resurrectionis suæ habere testem; plerique enim sibi resurrexisse videntur, cùm tamen jaceant exanimes, & fætoribus suis sepulchra impleant. Hujus sortis viduam divus Paulus noverat: & energiâ singulari monstrum succlamavit: in quo vitam servabat simul,& perimebat cadaver: cùm in delicijs viventem,mortuam pronuntiavit. Attollit alius caput, movet manum, erigit se in pedes, potéstque dici surrexisse; sed addi nequit: *Non est hic.* Tenet enim illum sepulchrum, quò vel semel sors illum miseranda detulit: tumulum, ceu domum incolendam, perpetuò adamavit. Surrexisse à mortuis parùm est; nisì sepulchrum deseratur:

tur: non ſatìs eſt deteſtatione, & confeſſione damnâſſe peccatum, nisì occaſio illius habeatur procul, & illecebra amandetur. Petendum à DEO, ut eum nuntium nanciſcamur, à quo doceri poſſimus, ubi Chriſtum quæramus, & inveniamus, & ad quærendum quàm primùm nos proripiamus è ſepulchro.

Dominica in Albis.

Erant Diſcipuli congregati, ob metum judæorum. Joan. 20. v. 2.

SI congregati fuiſſent Apoſtoli propter metum Herodis, nè veſtibus albis proſtituerentur; aut propter judicis Pilati horrorem, nè perfunderentur frigidâ illâ, quâ manus lavit, ante ſententiam latam contra innocentiamChriſti; indecora quidem, non tamen ignominioſa eſſet congregatio illorum; ſed judaicô conſternari, & conſtipari intrà cænaculi parietes metu: quis Apoſtolicum munus, eluendâ maculâ non inquinatum credat? Judæi potiùs timeant Apoſtolos, non Apoſtoli judæos: orbi ſubigendo, & imperio Chriſti in ultimas metas proferen-

ferendo, destinati homines, quid trepident? Ergóne judæos Heroes illi formidabunt, quibus votum debet esse, ut secures, tela, & ingenia persecutionum, ad sæviendum districta, suô retundant sangvine? Viri, loricâ impenetrabili, DEI videlicet mittentis Majestate tecti, characterem magnæ legationis objicere possunt securissimè, quibuslibet adversis; cur ergo suum dedecorant nomen, propter metum judæorum congregati, & absconditi? Condonanda Apostolorum tyrocinio hæc imbecillitas: præstat, ut recens sub signa Christi authorati, judæos timeant, & postea reges terrefaciant, quàm adversùs principum mitras stringant gladios novelli Apostoli, & deinde auricolas sibi amputari permittant, à judæorum Malchis. Ridiculum est, post debellatos à tyrone Apostolo principes, fortitudinem regibus metuendam, judaico cedere timori: nihil deformitatis tenello gregi Christi, conflatum est; quòd ad primum discriminum instantium aspectum, nonnihil exhorruerint, & postea gladiorum etiam objectas acies, etiam oppositas perruperint flammas, Christi Nomen, & Evangelium proferendo:

do: imò luculentiùs Divina vis, roborans Apoſtolos, effulſit; cùm timidis, ferocia, & potentia mundi ſuccubuit. Utì enim periculum ſæpè eſt magnum, imò exitium certum, timere nihil; ità ingens gloria erit, plùs cautô metu, quàm in conſultô fortitudinis impetu efficere. Exarmaverat, non diffiteor, odia, & vires hoſtium ſangvis Chriſti, & acerba tormenta: potiúsque timeri congruebat judæis, non Apoſtolis; ſed cùm ſceleſti, etiam inermes, furere malint, quàm timere, ubi timendum vel maximè, gratia ſit Apoſtolis, quòd non pro ſe tantùm timuerint, ſed etiam pro judæis. Metus Apoſtolorum, furorem judæorum morigerum reddidit.

Erant Diſcipuli congregati, propter metum judæorum.

TImor plerumque diſſipat, non congregat timidos. Cùm autem Diſcipuli Chriſti congregati ſint propter metum judæorum, videntur exemplô ſuô docere: nihil aliud eſſe, Apoſtolicè timere, quàm in unum congregari. Multorum inter ſe unitorum timor, etiamſi non fuerint Apoſtoli, for-

fortior eſt heroibus diviſis; plúſque ſæpè prodeſt, unà cum alijs timere, quàm audere ſeorſim. Opportunum itaque cuivis remedium, ſcire in unum congregari. Pateant licèt timentium fores, dummodo congregentur timidi: unionem illorum timebit, qui fortitudinem non timuit. Etiam puſillanimes adunati, præſtare plùs in ſuum, & publicum poſſunt commodum, quàm audaciſſimi pugnatores, animô, & robore diſjuncti. Non Diſcipulos, ſed Magiſtros dixerim eos; qui ſciunt in metu congregari, in media luporum agmina miſſi, & lacerati agni, cur lacerantes ſe vicerunt lupos? Cur percuſsô paſtore, puſillus grex non interiît? Ideò factum: quia in metu non dilabi, ſed congregari ſcivit. Apellent ſanè temerarij, impetus ſuos fortitudinem; ego fortiſſimum illum credo; qui timidos congregare novit. Congregatio timidorum, caſtra ſunt fortium. Hôc enim ipsô, quia timidi congregantur, fortes fiunt. Illum duntaxat condemno metum, qui non congregat timentes, ſed diſpergit. Nullum certiùs eſt timidorum exitium, quàm ſi metuant, alijs ſe addere timentibus. Non

pervadit ictus murum, si compage se mutuo sustentantium laterum, quamvis non durissimorum, excipitur. In quolibet etiam silice, vel indomitô marmore, non aliud est, quod retundit ferrum, & in profundum vulnus non admittit, quàm partes minutissimæ, quæ eò magìs resistunt, quò magìs unum fiunt. Et chalybs, & adamas, non aliter patiuntur damnum, quàm cùm singulas, quibus componuntur, atamos seorsim lima, vel scalprum adoritur; ùt firmitatem conjunctio, ità & audaciam addit. Scissione verò fortitudo, aliàs indomabilis, marcescit. In Apostolorum metu, quamvis essent exsangves, & solliciti; non deerat spiritus fortitudinis, contra quæcunque terribilia pro DEO toleranda. Sciebant se januis clausis non posse defendi, in illa congregatione trepidâ, nisì ab imperterritæ fortitudinis spiritu, id est: ab ipsa concordi societate timentium, robur accepissent. Pares enim sunt fortibus, qui simul timent, & simul januas claudunt.

Erant Diſcipuli congregati, propter metum judæorum.

NOn decuit ullâ ratione Apoſtolos fortunatiores eſſe Chriſto, neque id optare circa præſumptionis tumorem poterant; Cùm ergò Chriſtus odia, minas, flagella, & crucem toleravit, cur Diſcipuli illius cuticulæ ſervandæ tantùm ſunt intenti, ut latebras, munitáque ferreis repagulis, & ſeris conclavia quærant? Forſan non judæi, ſed crux, & flagra timentur, dicendúmque ingenuè erat: Diſcipuli congregati propter metum flagellorum, non judæorum. Hæc autem, cùm in corpore innocentiſſimi Chriſti retuſa, & conſecrata ſunt, non horrorem ſui, ſed venerationem, & deſiderium in Diſcipulis Chriſti, excitare debent. Nonnulli Apoſtolorum, timorem imminentium malorum pertinere ad ſe non negant; quaſi vocationi apoſtolicæ abundè per hoc ſatisfiat; ſed crucem ad Chriſtum relegant: at timere pro Chriſto, & nolle à judæis flagellari pro illo, parùm à judaiſmo, & flagellatoribus judæis differt. Fateor equidem non irreligioſum eſſe, pavere pro Nomine Chri-

sti; sed multò sanctiùs, virgis pro illo cædi. Dubitari posset, sibíne, an Christo Apostoli timuerunt? Quòd unicè sibi per metum illum caverent: vix in tantæ sanctitatis gradum cadere suspicio potest; quæ vel sola nomen tam illustrè inumbrat: nec enim fortitudo tantùm, & audentia, sed & alius quicunque animi motus, ipse denique timor in Apostolo, militare Christo debet. Excubat sollicita Christi, circa Apostolos cura, & veluti pupillæ oculi sui, minimum incommodum, & molestiam illis metuit: cur non pariter Apostolus Christo timeat? Perire sibi Christus non potest, sed Apostolis potest. Non itaque sibi, non ulli alteri rei, præter quàm Christo timere debent Apostoli; nihilominus contingit, nunc spectari Discipulos Christi, quorum alij non Christo, sed judæis, & in his suo lucello timent, contra eminentiores etiam potestates intrepidi. Alij Synagogas quidem destruunt, sed ex ruinis ædificant fanum, in quô Deam monetam colunt: quis horum apud Christum æstimabilior, vix quæri potest? Quia propudiô manifestô ambo suum deturpant nomen: cæterùm pro illo standum

dum eſſet potiùs, qui ſynagogam timet, & aularum vitia imperterritus corripit, quàm adſtipulari illi, qui ædificat aulas, in illíſque expugnatæ juſtitiæ, violati pudoris trophæa erigit, & judaicæ fæcis ramalia, ſolo æquat, & diruit. Timebant tunc judæos Diſcipuli, ſed eos quoque mox inter timenda numeraturi, quos illis in Chriſtum fides conjunxit: pericula non ſolùm ab hoſtibus, ſed & à falſis fratribus experturi. Sæpè enim etiam illi, qui Chriſto ſe ſacrificare, & cum Apoſtolis in unâ, eâdemque arâ immolare dicunt, inter nomina tyrannorum recenſentur. Sic pios, nec ſolis pium Antoninis: cùm & qui pietate videntur conſpicui, fiunt ſævitiâ in integerrimos ſtrenui; iſtis vel maximè timeri expedit, & januas cœnaculi Apoſtolici ità claudi, ut per obſeratas fores domûs, non poſſit timor ad extra perſpici. Metus primus, repertor eſt clauſurarum, ſed & metum ipſum claudi januis parum eſt, niſì ità claudatur animô, nè ad extra pateat. Invadentium audaciam ſæpè metus frangit, ſi non pateat; lenteſcítque furor, dum non videt ſe timeri. Et ùt fortiſſimæ manûs langveſcit vis, ſi perſpicitur, quò ictum dirigit;

ità dissimulatus timor audaciæ vices agit, & animo se audentis hostis insinuat. Inter artes belli non postrema est, ut nè suspicari quidem hostis possit, se timeri: cæterùm videtur, judæos minimè tum de Apostolorum exterminiô sollicitos, qui sublatô Christô, rem se confecisse putabant: sed an non trepident Apostoli rabiem judaicam, quæ in DEI Filium tot contumelijs, & tormentis arsit, & necdum morte deflagravit? cùm & illi vel maximè timori debent assuescere, qui in prælio suo omnia prosperô exitu destinârunt. Casu quo Christus non supervenisset, aut paulò plùs tardâsset, nihil erat propiùs, quàm ut tabescerent, & sui impotes, agoniæ similem vitam traherent Apostoli: mora enim quantumvis brevissima, & momenta singula, menses, & annos adversitate æquare videntur: certúmque est: diutissimè eum timere, quemcunque in infelicitate, & metu, non continuò DEUS benignô vultu sublevat. Quisquis alius confortaturus timentem accedit, graviore perturbatione animum paventis confundit; nam sæpè, ùt plùs affligunt mæstos, qui solantur, ità plùs non raró timendi sunt, qui timo-

timorem adimere, non exſpectatô JESU, conantur timidis. Petamus à DEO ſpiritum fortitudinis, & unionis, quâ contra metus omnes pro DEO ferendos, muniamur, & periculis nos timendos, vel ſola concordi trepidatione præſtemus.

Pro eadem Dominica.

Stetit in medio, & dixit eis: pax vobis, & cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus. Joan. 20. v. 20.

COnſuetudo jam iſta invaluit, ut fuſiſſimè de pace diſſeratur, magnôque eloquij, & temporis impendiô curatur pax, ſuadetur, & parari putatur; interim longiſſimos tractatus, breviſſima pax conſequitur. Salvatoris è contra noſtri donô, quæ ad nos derivatur pax hodie, eſto breviſſimis promatur vocibus, tribus videlicet iſtis ſyllabis: *Pax vobis*, diuturnior eſt illâ, quam locupletiſſimis ſermonibus, credunt ſe plerique homines comparare. Sermo, qui paci impenditur, in pauciſſimis etiam verbis, ſi efficax ſit, ſatìs profluens, & ornatus erit: efficaciſſimus autem futurus eſt, ſi brevia ver-

verba, luculentæ actiones ſuppleverint; nam & Chriſtus ſignificantiſſimas fecit voces iſtas: *Pax vobis*: cùm oſtendit manus, & vulnera, quibus pacem patravit. Utinam verò publica conſilia, quæ inter verborum oſtentationem, & certamina paci incumbunt; reſtrictam illam à Chriſto loquendi formam diſcant, & agendi tempora, verbis non deterant, id eſt: non oſtenſis manibus, & vulneribus, ſuadere pacem non præſumant; ſi enim pacem cupimus, breviter pro bono pacis loqui, & fortiter agere conemur.

Stetit in medio, & dixit eis: pax vobis.

NEmo præter Chriſtum, prolocutus eſt verbum de pace, ſed omnes altiſſimô ſilentiô attoniti, Chriſtum loquentem audiverunt. Sic omninò expedit: ubi enim de pace garriunt multi, pacem turbare potiùs, quàm conciliare intendunt: tantò magìs illi, apud quos nè appellari quidem pacis nomen, nisì inter jurgiorum ſtrepitus conſuevit. Quô non pretiô rixantes domus redimerent vel modiciſſimi ſpatij pacem, ſi hæc intrare limina, cæteroqui felicia,

cia, & ſplendida ſuſtineret. Quàm ibi concentu omni ſuavius, audirentur exiguæ voculæ iſtæ: *Pax vobis.* Si non potiùs intonarent continui rixarum tumultus, & convitiorum certamina, paci ſemper inviſa: Ideò miſſis omnibus Jeroſolymæ palatijs, & aulis, ad locum, à mundano ſtrepitu abductum, pax divertit, qualem ſemper amat, & ambit: nè ſortè pax etiam ipſa ſtrepere aſſueſcat inter domeſticos ſtrepitus.

Stetit in medio, & dixit eis: pax vobis.

AD dulcem pacis mentionem, facilè erat Diſcipulis, mente ſaltèm ſuſpiria illa agitare: quid refert, tam brevi guſtu pacis allici, ſi hæc vix agnita emigrat, & in morem fulguris, poſtquam modiciſſimè illuxit, evaneſcit! Si hôc ſaltèm in tricliniô recentiſſimi Collegij noſtri figeret ſedem, metúmque, & inundantia à judæis pericula, pax iſta depelleret; ſi firma in noſtrô hæreret contuberniô, agnoſceremus pacis nomen: ſed, ùt cum veniente Chriſto pax venit, cum perſeverante perſeveravit, ità cum abeunte abibit: momentaneum hoc nobis bonum Chriſtus indicat: hæc utrum dixerint,

rint, aut cogitaverint Apostoli, nescio: quòd alij passim id ipsum dicant, ignorat nemo. Accusare pacem brevem, fastidire longam, innatum hominibus est; irritari tamen priùs pace, quàm impleri desideria humana debent, nè præcocior tranquillæ consensionis facilitas, incautos reddat eos, quos acquisita pax reconciliat. Nemo verò miretur, pacem cum veniente Christo venire, cum stante stare, cum abeunte abire: utì enim magnetis motum sua sequitur acus, ità pax cohæret Christo. Proinde ad permanentiam pacis, nullum efficacius remedium dari potest; quàm fide, & affectu Christum, si non ad oculorum solatium, certè ad soliditatem fructûs pacis retinere. Hôc enim etiam absente, perpetuam cuivis pacem spondere potest. Appositè sacra pagina notat, stetisse Christum, dum pacem afferret Apostolis; considere etenim illam nullibi in terra, stare interdum alicubi, & mox abire videmus; ideò fortasse, quia pax ad sedendum rarissimè ab hominibus invitatur. Non ulla natio, non imperium, aut regnum, non templa demum, & sanctuaria ipsa, sedentem pacem habent, sed stan-

ſtantem, id eſt: expeditam ad migrandum experiuntur. Cùm de beatitudine olim peroraret Salvator, ſedentem illum meminit ſcriptura. Nam permanſuræ quietis nomen, intrà beatitudinis fines nonnisì invenitur: pacem verò mortalis vitæ, puncto velut temporis, & loci, ſtans Salvator docet inſiſtere, in procinctúque ſemper eſſe, ut abeat: & hic certè genius terrenæ pacis eſt, ut conſidere nuſquam ſciat. Locus etiam in quo annuntiata eſt pax à Chriſto, haud incongruè conſiderari poteſt: non in limine ipsô, non ubi primùm oſtiô prodigiosè penetratô intrà cænaculum fuit, pacem ſe afferre Chriſtus exclamavit, ſed in medium inter Diſcipulos progreſſus, hoc feliciſſimum nuntium: *Pax vobis*, explicuit. Diſcerent utinam ſequeſtri pacis, quos redintegrandæ concordiæ, vel ſtudium proprium, vel aliorum perſuaſio admovet; locum ante omnia, in quo ſui conatus ſubſiſtant eligere, mediúmque hoc pacis ſciant eſſe, ſi & ipſi medij ſint. Partialiſtæ, non mediatores, agnoſcuntur illi, qui uni, quàm alteri parti viciniores ſunt: quidquid verò tum dixerint etiam diſertiſſimè, etiam in-

ſtan-

ſtantiſſimè, pacem ſuadere poſſunt, perſuadere non poſſunt. Nè Apoſtoli quidem pluries inculcatam crederent, vel acciperent pacem, ſi non è medio illam, ſed ex angulo inclinationis affectûs, vel utilitatis cupiditate adverterent nuntiari à Chriſto: efficere quicunque pacem geſtit, & eſſe mediator; medium ſe teneat oportet: aliàs parum eſt illi, contendiſſe ingeniô, minimum, per omnes artificij modos facundiam exeperere; ſi ab æquanimitate, & litigantium partium indifferentiâ deflexerit, séque vel commodi deſideriô, vel quócunque trahi, ad alterutrum extremum permiſerit.

Stetit in medio, & dixit eis: pax vobis, & cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus.

PLus, quàm certum eſt; pacem, quam mundus largitur, non ejuſdem rationis cum illa eſſe, quam Chriſtus confert. Et quemadmodum non ſecum conveniunt, mundus, & Chriſtus, ità pax Chriſti, à pace hujus mundi multum differt. Pacem ſuam conferendo DiſcipulisChriſtus, oſtendit manus: eô ipsô docens: non alijs manibus

bus dari, & teneri posse datam à Christo pacem, nisì ijsdem manibus Christi. Mundus, etsi quandoque ostendit manus pacem dando; nunquam tamen ostendit manus pacem tenendo; quibus tunc omnino caret, cùm vel maximè tenenda pax est. Christus dando pacem, ostendit latus in signum, quòd det pacem ex corde; mundus tribuendo pacem, ostendit os, & abscondit latus; quia nunquam dat pacem sincerè, dando illam ex ore duntaxat, non ex corde. Stare in medio, & ostendere manus, & latus, documenta sunt pacis à Christo datæ. Ex his tribus, si unum desit, pax Christi neque esse, neque dici potest. Pax sinè manibus manca, sinè latere frigida, sinè medio injusta; adeoque non à Christo data esse censetur. Quid si Christus, dicendo: *Pax vobis*: non ostendisset manus, & latus; vel ostensis manibus, & latere, nihil dixisset de pace; intellexisséntne Discipuli pacem Christi visis manibus, & conspectô latere? Ità omnino; cùm enim perfossi lateris, & manuum cicatrices, characteres fuerunt pacis scriptæ; legi poterat ex illis pax Christi, etiamsi Christus nullam pacis mentionem fecisset,

neque hæc audita fuiſſet ex Chriſti ore: imò pax pronuntiata etiam plenô ore, ſurda quodammodo eſſet, nisì veniret ex ore ad manus, ex manibus ad latus, ex latere Chriſti deſcenderet ad homines: bene pax illa, & audit, & auditur, quam manus, & cor Chriſti loquitur, etiam tacente ore. Diſcrepat inſuper pax Chriſti, à pace mundi: quia, quam pacem Chriſtus nominat, bellum immane mundus diceret. Varijs enim agitata, & terminata adverſis, Apoſtolorum vita; pax illorum fuit à Chriſto data: illud ſcilicet robur animi, dando pacem, infundebat ſuis Chriſtus, ut à fundamentis commotæ inferorum, & mundi ad nocendum poteſtates, pacem Diſcipulorum Chriſti non diſſiparent. Et certè, quos annuntiata pax à Chriſto complectitur, ſcuti impenetrabilis more, adversùs ictum impiorum tegit. Plus enim illi quietis capiunt, dum DEI cauſâ, quæcunque aſpera tolerant, quàm ſatiata ærumnis innocentium, crudelitas. Pax Chriſti non id ſpectat, ut nulla omnino adverſa nobis contingant, aut ſi contigerint, nullô nos modô premant, nec affligant; ſed ut preſſuræ, quas immittit ſeu perſecutio,

ſeu

ſeu directa ſors à DEO, virtuti noſtræ dent occaſionem, prodeundi etiam ad extra. Ità erudiri ad pacem, ſuppliciter petamus à DEO.

Pro eadem Dominica.

Gaviſi ſunt Diſcipuli, viſô Dominô: dixit ergo eis iterum: pax vobis. Joan. 20. v. 21.

IN unâ, eâdémque apud Diſcipulos comparitione, bis Salvator dixiſſe notatur: *Pax vobis*: conſternatis enim, & pavidis parum eſt, ſemel dixiſſe; *Pax vobis*; eadem vox ſæpiùs debet repeti: hæc enim eſt lectio illa, quæ ſemel lecta placet, bis repetita, infinities placebit. Inde etiam colligitur, quòd Diſcipuli vehementer timuerint. Siquidem duplicem oppoſuitChriſtus pacem, ſemel tantùm perterrefactis; nimirum multiplici pace ægerrimè unus etiam propulſatur timor, præſertim ſi hic clauſus fuerit. Diu etenim timet, qui ſecum timorem claudit. Pateant fores timori, ut exeat, claudantur timidis. Poſt auditam iſtam primô nuntiô declarationem: *Pax vobis*;

gavisi sunt, inquit Evangelista, Discipuli. Quàm primùm autem animadvertit Jesus gaudere ex prima pace Discipulos, *Dixit eis iterum: pax vobis*; quasi non mereatur ille secundam pacem, qui primæ gaudia spernit pacis. Sed expresse Evangelista, signantérque notavit, non ex audita pace, sed visô Dominô gavisos fuisse Discipulos, ideoque illis iteratò dictum à Christo: *Pax vobis*. Qui enim non paci corridet, sed Domino pacis, huic pax super pacem multiplicatur, ex solatio visi Domini, & ex desiderio videndi. Multâ enim dignus est pace, qui largitorem videt pacis. Heu! quàm multi sunt, qui auditâ pace lætantur; visô autem Dominô mœrore sunt pleni, despiciendo authorem pacis.

Gavisi sunt Discipuli, visô Dominô: dixit ergo eis iterum: Pax vobis.

IN propositis verbis Evangelij, duæ infallibiles consequentiæ per particulam Ergo, possunt deduci: prima consequentia. Visus est Dominus à Discipulis, ergo sunt gavisi. Secunda consequentia sic procedit: Gavisi sunt Discipuli visô Dominô, ergo illis

lis

lis iterum dixit : pax vobis, & hâc formâ greſsûs, poſt declaratam ſemel pacem, iterum ad cathegoricam ejusdem pacis declarationem Chriſtus deſcendit. Vis gaudere? vide Dominum: vis multiplicare pacem? exulta visô Dominô. Decepti ſunt oculi, qui omnia videre cupiunt, præter Dominum; depravatum cor, quod Dominô abſente captat gaudia: pax autem valde infirma, & triſtis eſt, quam ſemel datam, non confirmat ſecundò Dominus. Sed admirandus quoque hic Dominus eſt, qui exhilarat ſervum ſuum, etiam ſemel ab eo viſus; cùm multi plorent, ſi contingat illis videre Dominum: nec gaudere poſſunt, nisì in abſentia illius. Primâ vice, cùm dixiſſet Chriſtus Diſcipulis, pax vobis: oſtendit illis manus; cùm verò eadem verba ſecundò repeteret, jam illis manus non monſtravit, ſed præcisè dixit: *Pax vobis*; quaſi re ipsâ monitos vellet: primam pacem ex manibus meis habetis, pro ſecunda pace veſtris proprijs manibus ſic laborare contendite, ac ſi me prorſus deſtitutum manibus, auxiliatrice lævâ, & dexterâ crederetis. Aliqui libenter pacem alienis, non ſuis manibus

paratam vellent; nullúmque aliud ad publicæ tranquillitatis juvamen præbent, quàm erectas aures, cùm jam pax omnibus proclamatur.

Gavisi sunt Discipuli, visô Dominô: dixit ergo eis iterum: pax vobis.

QUantum divinioris lætitiæ, ex deliciosissimo, & perenni omnium gaudiorum fonte, id est: ex amœnissimâ visi Domini præsentiâ, hauserunt per oculos Discipuli; tantum secreta venæ cœlestis scaturigine, ad intima cordium derivârunt. Gestiebat incredibiliter exhilaratis omnium vultibus, serenatâ facie, perfusis ineffabili voluptate præcordijs, & festivâ omnium oculorum, ad videndum Dominum, consensione, tota Communitas Apostolica: cui, quidquid per inundantem effluviem exuperantis lætitiæ restabat, quod capere non posset, in cænaculi parietes redundare videbatur. Rara hæc, fateor, communitatum gaudia, quæ se permistim omnibus socijs affundant. Aut citò universitatum perit lætitia, aut dum aliquos sua hilaria ingurgitant, torquentur miserabiliter illi, quibus nè libare quidem fas

fas est, de contribulium suorum solatiô. Discipuli Christi, quotquot aderant, omnes pariter consorte lætitiâ diffluebant: tum quia nemo aliorum gustibus invidebat; tum quia omnes simul, non aliqui tantùm, obtutu in uno Domino defixi hærebant. Qui ad alia respicit, ingerente se in oculos communitatis, Christô; non tantùm binâ, sed nè unicâ quidem pace, & gaudiô perfruetur. Ut de Apostoli, seu cujusvis Christiani animô conjectare possimus; gaudeátne, vel tristetur visô Dominô, oculos illius intueamur; si hos huc, atque illuc nictitans ferat, & non in Dominum præsentem defigat, cænaculum illi commune erit; sed non contubernalium felicitas. Averte oculos tuos, nè videant vanitatem, dum alij municipales, visô Dominô exultant.

Pro eadem Dominica.

Insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum. Joan. 20. v. 22.

UT Spiritum Divinum reciperent Apostoli, non satìs erat Christo insufflare, sed etiam excitare, & invitare ad tantum,

& concupiſcendum, & excipiendum bonum, dicendo: non ad aurem cuique, ſed omnibus clarâ voce: *Accipite Spiritum Sanctum.* Quantis deficimus! Quantis egemus! Neque tamen nos indigentia demittit, ut ſupplices DEO, pro donis illius procumbamus; ſed compelli debemus, ut non petita etiam, ſed ultro à munificentiſſima, benignitatis Divinæ manu, accipere munera dignemur. Allaborandum eſt in hoc DEO, ut beneficia, quæ in nos profundit, ad exoratos nonniſì proveniant. De habendo Spiritu Sancto, parum ille ſollicitus eſt, qui, poſtquam in eum inſufflatur, moneri debet, ut eum accipiat. Alacritas, in accipiendis à DEO donis, non exſpectet monita, quæ receptum Spiritui parent, ſed benefico muneri obviam procurrat: attraxit Spiritum regius Propheta, quia os, antequam inſufflaretur, tempeſtivè aperuit. Plurimi aperiunt os ſerò, & ideò nihil attrahunt. Inſignis profectò barbaries, ultro quoque oblata dona reſpuere, aut nolle admittere, niſì etiam nolentibus ingerantur. Quid eſt inſufflare? niſì offerre. Quid dicere: *Accipite Spiritum Sanctum*? niſì eum nolentibus inge-

ingerere. Obſtinâſti rebellem DEO animum peccator, nè petas; ſaltèm faſtidire, & ſtultâ indignatione, ac contemptu noli refellere, quas in te, non rogatus, ſpargit gratias. Exſpectant non pauci, ut reſpuentem ſua munera duritiem illorum, inſufflando, id eſt: quaſi blandiendo emolliat DEUS; at, ſi non petimus, ſaltèm ea, quæ non rogatus, aut petitiones præveniens, ingerit nobis DEUS, promptè accipiamus. Nihil unquam faciliùs, ajunt illi, obvenit Apoſtolis, quàm Spiritûs Divini plenitudo: quantùm ſudandum, algendum, vigilandum fuit, cùm victui parando inſtarent! Donum autem omnium munerum DEI maximum, ex ſanctiore oris Chriſti depoſitorio promptum, nè cogitantes fortè de tanti Sacramenti theſaurô acceperunt, ídq; non ſinè placidiſſima dantis perſuaſione, & hortatu. Divina neminem fallunt, ſed ſua quemque, præcipuè tamen pietatis mimos, decipit curioſitas, Judiciorum DEI ſcrutatrix importuna. Cùm DEUM ad dandum promptum advertimus, expeditè, imò & cupidè accipiamus: incerti, an, cùm acci-

 pere

pere deinceps voluerimus, dandi in DEO eandem promptitudinem, reperturi ſimus.

Inſufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum.

SI CHRISTUS primos in regno ſuo accubitus, & in ſacro Senatu ſubſellia, quæ aliquando in cætu illô, contentionis materia fuerunt, inſufflâſſet in Apoſtolos; otioſum, & ſupervacaneum tunc eſſet dicere: Accipite primos accubitus: mox enim ſe prompta ſingulorum exercuiſſet alacritas, imò ſpectaretur fortaſsè mutuò ſibi procurrentium certamen: ubi verò Spiritus Divinus recipiendus occurrit, commendationem Chriſti neceſse eſt intercedere, priusquam capiatur: honores duntaxat, ex ſolo afflatu, & vel tenuiſſimó oris halitu, avidiſſimè hauriuntur: quibus eteſijs, tanquam ſalubri aurâ, pulmones ſuos refrigerari credit humana ambitio: humiliora autem Divini Spiritûs oracula, & chariſmata, etiam datô ſignô, & claſſicô ad prenſandum contemptui habentur. Cùm tamen Apoſtoli ad docendum, & deducendum à ſuis erroribus mundum, à Chriſto deſtinati, ſubſidiô Spi-

Spiritûs Divini, qui alta à longè cognoſcit, humilibus autem dat gratiam, neceſſariò inſtrui debent, ut ſapiant: debent hôc unguentô perfundi, ut bonꝰ odor Chriſti fiant: hâc armaturâ indui, nè inermes adversùs hoſtem dimicando, infeliciter ſuccumbant. Verbô rem tangam: Apoſtoli Spiritu humili vacui, contagia potiùs, & errores, quàm Evangelium in orbem propagabunt.

Inſufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum.

EXiguum quid videbatur aura illa, quam halitu ſuô Chriſtus in Apoſtolos propellebat; Spiritus tamen Divini vehiculum illud fuit. Nos parva ſæpè veluti inutilia transmittimus; ſed diſpendiô non parvô: nam digredientem Spiritum Divinum, fruſtra deinde requirimus. In commotione nonnisì vehementi, adeſſe poſſe majora DEI munera, ſi credimus, fallimur: cùm ſæpè in aurâ, & ſibilô tenui deprehendantur. Id eſt: non ſemper elaboratâ, & ardenti Apoſtoli dictione, Spiritus Sanctus advocatur, ſed etiam levi halitu. Tantillus fuit, animando tamen, & ordinando informi mundo

do ſuffecit. Hunc licet, quantum volueris, dilatare præcordijs, deſiderijs ampliſſimè diſtendere. Nec enim parcè in tenui etiam aura, hauriri vult, qui totâ immenſitate, avidiſſimo omnium creaturarum hauſtui, gaudet affundi. Fons iſte deſiccare non metuit, qui in ſe ſcatebram ſemper habet, fundum non reperit. Inſufflando in Apoſtolos oſtendit Chriſtus, quòd non trahendus tantùm, ſed etiam fovendus ſit Spiritus ejus: dicendo autem: *Accipite Spiritum Sanctum*, docuit: non Eum venturum fuiſſe ad collegium Apoſtolorum, niſì ab illis fuiſſet acceptus, & introductus ad cænaculum. Multi hoc præſtolari videntur, ut in eos nullâ ipſorum operâ, ullâ curâ Spiritus Divinus, ut quondam in Saulem inſiliat, & ſubitò admirantibus ſpectaculum faciant prophetando. At in multorum otioſâ prophetiâ evaneſcit Spiritus, laboribus autem Prophetarum ſemper reſpondet, & ſua illis, ex ineffabili Veritatis æternæ tripode, fundit oracula, ſempérque adeſt.

In-

Insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum.

UNicus, & indivisus Christi afflatus, ità est dispensatus ab eo, ut in omnes Apostolos aliunde provenerit. Contingit non raró, ut Spiritus alium prætereat, in alium insiliat; fortè ideò: quia non omnes æqualiter, sed quosdam minùs afflat, qui Spiritum dispensat. Christus suô afflatu omnes attigit, &, ut Spiritui non invidiæ locus esset, omnes sacrô halitu implevit. Principium hæc solet esse culpa, qui super mortuos suos, more Ezechielis, totô procumbunt corpore, totâque viscerum contentione, diutiùs illis insufflant Spiritum, ut, si repentè vivere, & se erigere in pedes non valeanr, saltèm oscitare incipiant. Quibus autem parum propitij sunt, nè vulgari quidem illos aurâ, nisì fortè à longè afflare dignantur. Notandum & illud diligenter: Spiritum Sanctum insufflavit Christus Apóstolis; sed hunc nè pro se tantùm haberent, verùm & alijs inhalarent. Nam parùm ipse Apostolus est, qui ad alios Divinum proferre Spiritum aut nescit, aut Spiritu caret.

Invenias plerosque ad insufflándum alacres, parvô tamen proventu : quia suum, non Christi Spiritum propagant. Et certè : in nomen inane non vanescerent Spiritus inter fideles, si solus ab Apostolis Spiritus Christi circumferretur : ut suo proinde nomini, & officio Apostolus non desit; Christum, & ejus Spiritum, non se insufflet. Reperire est alios, qui frustra hortantur, ut Spiritus ab eis accipiatur, quem non spirant ; ingeminant illud : *Accipite Spiritum Sanctum*, sed persuadent nihil, cùm Spiritum, qui accipiatur, non exhibent. Si Spiritu Divinô pleni fuerimus, insufflare hunc, & immittere alijs poterimus. Turpiùs adhuc quidam, qui humano spiritui, qui caro est, Divinum Spiritum cohærere, & utrumque insufflare se alijs posse, autumant. Faciliùs tamen est, quæcunque sibi adversantia coalescere, & vel in monstrum concrescere, quàm ut Christi Spiritus, humano Spiritui, qui caro est, cohæreat. Prætereo reliqua : 1. Insufflavit Christus non in solitariè vagabundos, sed in unum congregatos, & clausos, Spiritum Sanctum. 2. Insufflatio ista, non temerè appellari posset præ-

præparatio, ſeu invitatio ad recipiendum Spiritum Divinum, qui ſenſim, & ſuaviter à Spiratore promoveri debet, nec ante halitum clamari: *Accipite Spiritum Sanctum.* 3. Proprió, non alienô ore Chriſtus inſufflavit Spiritum, nec aliô inſufflatore, ut ità dicam, opus habuit. 4. Ex tot donis, quorum infinitus eſt apud DEUM theſaurus, ſolum Spiritum Sanctum inſufflavit in Apoſtolos Chriſtus. Hunc enim velut inexhauſtum omnium bonorum fontem, habere ſufficit. 5. Ut nobis Spiritum Sanctum inſufflet DEUS, nos inſufflare DEO preces, & continuas, quibus premimur, neceſſitates debemus. Quanquam celerior gratia, quàm precatio eſt.

Dominica II. poſt Paſcha.

Ego ſum paſtor bonus. Joannis 10. v. 11.

CHRISTI ſunt verba iſta: qui non ſolùm ovium, & gregis ſui, ſed etiam paſtorum paſtor eſt bonus. Si Chriſtus paſtores, quibus ſuum credidit gregem, extrà ſuam ſolitudinem ſineret eſſe; ſi non minùs gre-

gregi, quàm Paſtori intenderet; ſi paſcua, & campos, in quibus ſpatientur oves, & pingveſcant, non indicaret, & non aperiret; ſi ſuorum cuſtodiam canum ultra eos, quos pro conſuetudine circumducunt paſtores, non adderet: ſi non præberet forficulas, quibus attonſa vellera promptiùs, & molliùs ſuccreſcerent; ſat pauci ſunt boni paſtores, ſed longè pauciores eſſent. Excubat proinde ſuper paſtores DEUS, ut & illi ſuo gregi invigilent, & ſe ad exemplar tam perfectum forment. Quid ſuis diæceſibus Epiſcopi, aut paræcijs Curiones, aut villulis, & pagis, & urbibus majoribus Præſides; quid gymnaſijs ludimagiſtri? Nónne Paſtores? His omnibus, nisì DEUS præſit, & curam habeat ſingularem, eíſque paſtoritij muneris induſtrias, & artes ſuppeditet? Quilibet eorum non genuinâ, & propriâ Evangelij voce: *Ego ſum Paſtor bonus*, ſed figuratâ antitheſi: Ego ſum Paſtor malus, ingenuè fateri debebit.

Ego ſum Paſtor bonus.

SAt anguſtô numerô, bonos cenſemus Paſtores ovium, ſed longè pauciores habet

bet orbis, qui sibi quoque Pastores boni sint, dum alios pascunt. Non desunt, qui gregem ad pascua propellant, mulgeant, attondeant, etiam stigmata distingvant, in caulas cogant, ostium adducant ovili, oviculas prorumpere à suis vetent septis: sed sibi pastoritiam curam adhibere, sibi non minùs, quàm suo gregi invigilare, luxuriantia in se vellera attondere, non tantùm arcere latratu canum lupos ab ovibus, sed & pati se allatrari ab eis, si quid lupinum in se proditur: hæc raritas eorum est, qui oves pascendo, sibi etiam, non tantùm suo gregi, boni sunt pastores. Quid enim juvat, quòd aliena sata obteri, & absumi à suo grege non permittis, si ipse messem paratam, & sudore miserorum educatos fructus intercipis? Quæ Pastoris commendatio illa? quòd morbos suarum ovium, & remedia præsentissima noverit; quòd nulla ovicula tabe viscerum succutiatur, & tussiat; nullam scabies depascat; ipse tamen Pastor, non scabiem tantùm exsangvis, sed & exesis vitalibus, pestem afflat; illuvie ulcerum, & pure movet horrorem, & nauseam? Vel apertiùs ut dicamus; an ille bonus Pastor sibi est, qui

ſcelera quidem ab illis, quos erudiendos ſuſcepit, ſubmovere nititur, ipſe tamen in ſceleribus computruit ? Heu Medice cura te ipſum! in aliena vulnera vinum, & oleum nôſti affundere; tuas plagas corroſit ſanies, quibus oleum tantùm, id eſt: leviſſima fomenta congeris, ut mephitim, & pus, in inveterato malo multiplices.

Ego ſum Paſtor bonus.

NUllus ex mortalibus eſt, niſì quem aut morbus, aut infantia, rationis impotem fecit, cui ſuus non adſit grex, in quem boni Paſtoris munere fungi debet. Diverſiſſimi humanæ voluntatis motus, quos paſſiones dicimus: amor videlicet, dolor, metus, cupiditas, & plura veluti fætarum agmina, minutiorem gregem de ſe genitum, ante ſe, & circa ſe glomerant; anxietates videlicet, curas, invidentias, rabiem doloris exitum non invenientis, deprehenſum in deformitate ruborem, iram præcipitem, odia, mox langvorem ad quamvis ardui ſpeciem, cæteráſque multiplici partu, multiplicatas ſemper, & adoleſcentes, affectionum turbas claudit, & educat ovile, quod cor huma-

manum est. Quis verò armenta illa dinumeret, quæ in immensas divisa turmas, à fæcundissimâ cogitationum mente, à sensuum, nunquam non agentium inquietudine nascuntur continuò, & in diversas actionum, & intentionum formas, & figuras, velut in acies explicantur. Quanti operis sit, tanto gregi, tam volatico, & indomito agmini, Pastorem bonum invenire, quotidie experimur: quis enim ad obsequium cogere, in uno loco cohibere, aut quò voluerit agere, cogitationum, & volitionum, momentô nascentium, momentô vanescentium, novit agmina? Etiam dum sacris accumbimus epulis, aut Sacrificio incruento adsumus, aut cùm precum, & venerationis tributum repræsentamus DEO; cogitationes cordis nostri dissipantur, & ipsum cor nobiscum non est. Dilabitur grex mobilissimus, & in avia, unde colligi non potest, spargitur, lascivientium instar caprarum: sæpè ara, templum, musæum, Pastorem occupat, & claudit; grex autem noster, forum, prædia, tribunalia, palatia, aulas, penus, culinas, stabula, granaria oberrat. Ex illo immolato, oneranda fuerant altaria holocau-

ſtis, hoſtijs propitiationis, inde ſacrificia matutina, & veſpertina incendi debuerant, interim tamen noſtrum hoc pecus, cedit in ſacrificium Jovi ultori, aut capitolino, qui placari ſe ſimulat, ſi hæ ſibi hoſtiæ litentur. Implet de noſtris gregibus ſua Juno altaria; non minimam partem Cypria Venus, ſuis aris vendicat: quis ille, & ubi quærendus Paſtor? qui hoc errabundum pecus contineat; & vel in arctum cogat, vel, ſi eum vitæ, & ſtatûs, conditioníſque neceſſitas, etiam forum, vel mercatum evocat, cogitationum ſuarum turbam, ad aras relinquere, agmina hæc gregum in obſequium cogere, & vias excurſuum illis claudere poſſit, & ſciat? Non flagri ſtrepitu, non canum allatrantium circumcurſatione, non ipsâ boni Paſtoris vigilantiâ, pecus hoc in caulas facilè revocatur.

Ego ſum Paſtor bonus.

NOverit ille, qui ſibi Paſtor bonus eſſe deſiderat: quibus campis grex illius frequentiùs paſcatur, quô objectô maximè cogitationes, & affectus ſuos oblectet: hoc autem non dubitatum habeat, nulla, & uberio-

riora, & pingviora contingere posse gregi suo arva: quàm DEUM ipsum, & illius Unigenitum Christum, qui pascitur inter lilia, virentes licèt in agros, & latissimos campos ducat suos hædos mundi voluptas, & à primô manè in vesperum, in suis faciat distendi pascuis; illuc grex tuus, qui boni Pastoris officiô fungeris, non procurrat; nisì eum extremâ conficere macie, vel infectione volueris. Noctes licèt, & dies totas in pastum vanitatis, & illecebrarum consumas, prodis, non pascis gregem tuum. O! quàm frequens inquisitio debet esse cuilibet Pastori! maximè tamen illi, qui sibi bonus Pastor est, ubi pascat, ubi cubet cum grege suo in meridie, nec in meridie solùm, sed tantò magìs declinante in vesperum die, ipsôque manè, ubinam quærendus? Quàm pulcher ager ille, quàm formosa pascua, in quibus suum gregem pavit, laudatissimus Pastor! *Pavit eos in innocentia. Ps. 77.* Scimus, & gloriamur, optime DEUS, quòd populus tuus, & oves pascuæ tuæ simus: quò ergo, nisì ad te, qui solus famem nostram, solus egestatem maximam, quia sanctioris vitæ depellere potes, festinemus.

Pro eadem Dominica.

Animam suam dat pro ovibus suis. Joan. 10. v. 11.

URgentur ingenti muneris sui mole, Pastores boni, si quamlibet oviculam, illiúsque commoda, & integritatem, etiam impendiô sangvinis, vitæ, & animæ, tueri obligantur. Neque tamen credendum, quòd etiam vellera ovium, etiamsi adipes illarum, tanti constare debeant Pastoribus; ut vitæ,& curis quibuscunque non parcant, quoties minora commoda, & quæ temporalibus æstimantur pretijs, redimantur. Sæpe enim sui nimium amantes oviculæ, non metuunt quibuslibet molestijs objicere suos pastores; amant,nè villus etiam exiguus, suæ carpatur lanæ; nè sagina intermissa aruinam vel modicè desiccet; nè ferrum, dum vellus attondet, stringat cutem. Id, nisì objectu sui,vel corporis avertat Pastor, confusô, & sæpe asperô balatu quæruntur; at verò abundè suas implere partes, à cœlo judicantur Pastores: si animas sibi commissas, eripi nullô modô permittant: fortunas licet tueri, sibi commissorum vel non possint,

ſint, vel diſſimulent. Unicuique noſtrum quidquid habemus, proportionatâ æſtimatione conſervandum eſt. Animæ prima ſit ſollicitudo, cætera ſeu fortuna, ſeu hoſtis tulerit, pari, ut Rex ille, animô ſubjicere debemus: *Da mihi animas, cætera tolle tibi. Gen. 14. v. 21.* Rapuerit adverſitatis incurſus greges integros ovium, caprarum, & jumentorum armenta, excuſſerit à manibus ſperata commoda, & poſſeſſas opes, abſtraxerit guſtui adhuc hærentes illecebras, honorum auram difflaverit, vapida, & umbratilia ſimulacra in noſtro complexu vaneſcere fecerit; vera adhuc procul eſt injuria: ſi anima in integro, probitas in tuto eſt: hilares ſucclamare adverſæ ſorti poſſumus: *Cætera tolle tibi.*

Animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

OCCurrunt pleraque quærenda, quæ munus boni Paſtoris effingent meliùs.

I.

AN, quemadmodum boni Paſtoris eſt, ut animam ſuam pro ovibus ſuis ponat, ità cùm paſcua gregi providerit, ad eadem paſcua famem, non faſtidium afferre de-

beat, ſimúlque cum ſuis ovibus refici? Ità omnino: nam ſi, dum pabulum ſuo gregi apponit, & commendat, ipſe ſectatur aliud; hoc eſt: ſi diſertiſſimus eſt, dum ſuas oves ad pietatem allicit, frigidiſſimus verò cum moribus Paſtoris, pietas exprimenda eſt, & perſuadenda exemplô; tali ſub magiſtro, pecora ſibi commiſſa minimè craſſeſcunt.

II.

SI bono Paſtori impendere animam in ovium commoda, & integritatem neceſſe eſt; quid poſt tantas impenſas, reſiduum Paſtori manet, qui animam unam habuit? Feliciſſimè prodigus Paſtor eſt, ſi vitæ mortalis jacturâ, comparat tot vitas immortales, quot ſuo gregi adſcriptas numerabat oves, operâ ſuâ in beatæ æternitatis paſcua translatas. Hanc Paſtoris boni formam implevit ille, qui anathema eſſe pro fratribus ſuis optabat: adumbrat aliquantum objectam exitiô boni Paſtoris animam, vermiculus ille, qui hamô ſuffigitur; exponit ille carpenda piſcibus viſcera, ſed plurimorum prædam facit. Dulce eſt bono Paſtori, ſi animâ ſuâ plurimæ aliæ ineſcentur, & in retia Chriſti cogantur. Sic enim impoſitam ſibi

ſibi à Chriſto perſonam implere laudabile eſt, qui dixit? *Faciam vos fieri piſcatores hominum. Mat.4. v.19.*

III.

SI boni Paſtoris eſt, animam ovibus conſervandis addicere; certè ſinè contumelia, & aſperitate judicabimus, Paſtorem malum, non ſui, ſed ovium ſuarum eſſe prodigum? An enim qui ſe unicè paſcit, qui per lanienam ovium ſaginari conſuevit? An, inquam, qui gregi ſuo lupus eſt, ullâ tangatur ſollicitudine? Si anima, ut conſervetur ſua, vel electis, & conſpicuis arietibus, vel numeroſis ovium turmis, ſit pereundum. Irruant ſanè milleni in gregem lupi, aut leones, per Paſtorem hunc, licebit unicuique invadenti, cum ſua abire ex ovibus correptis prædâ, modò ipſe in tuto ſit.

IV.

QUi nec animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, nec oves exponit, ut ſuam conſervet animam, utrique conſulere is vellet, & declinare potiùs lupos, quàm repellere, illéne ſit bonis accenſendus Paſtoribus? Sæpè quidem eventus, conſilium hoc non reprobat, ſi à ratione, non à metu dictetur: nam ſi in non laceſſendis lupis, pavori unicè

obſequimur, hæc tacita confeſſio eſt; quòd ad paſtoritium munus minores animos attulerimus. Boni Paſtoris ille character eſt, ut gloriæ ducat, occumbere pro ovibus ſuis.

V.

QUi aliquas ovium ità tueri paratus, ut vicariam pro illis non cunctanter exponat vitam; cæterum, aliæ nè id ſperaverint, imò nè grex totus; an illi boni Paſtoris concedendum ſit nomen? Is minimè ordinatæ charitatis exceſſus, aliam longè à paſtorali dilectione flagrare notat. Omnes ſibi commiſſas talis Paſtor oves eſſe fatetur; in una interim aſpectum, & animum figit; non ergo ovem eſſe fatetur, quam diligit: cùm nomen hoc, & rem, in omnibus reperiat. Ut parentes ſuum in omnibus liberis agnoſcunt ſangvinem, ità eundem omnibus debent affectum. Gregis Chriſti Paſtores, etiam parentes eſſe debent. Nec parentis, nec Paſtoris oculô diſcernentur oves, ſi amentur, quatenus oves ſint.

VI.

CUinam Paſtori, locupletíne an inopi, ea eſt neceſſitas impoſita; ut oves animâ ſuâ redimat: Divitem quid cogat animam

ſuam

suam expendere? An non peristromata non calefactura parietes, priùs detrahentur conclavibus; aut phalerati sexjuges abjungentur, vel cum aurato simul pilento donabuntur? Aut si venandi possedit studium Pastorem, cum numellis vertagi, & venatoriô instrumentô, non ægrè dabuntur? Evacuabuntur etiam pretiosissimi vini cadis cellaria, & in donum cedent, nè anima merces fiat? Non vacat quidem bono Pastori, ut hunc sibi deliciarum apparatum conquirat; ità solitudinem omnem cura ovium absorbet: cæterùm, si quæ prosperitas hæc non cogitanti affundat; libentissimè omnia in ovium salutem erogat, vitámque ad ultimum, & animam expromet. Cui tamen locupletissima indigentia, & dedicata in Christo Pastore paupertas, census omnis est; abundantissimè instructus, & profusissimè liberalis in gregem suum censetur esse Pastor, qui solam, quæ restat, animam dare non dubitat. Pete à DEO gratiam, quæ te memorem faciat, & gratum supremo Pastori Christo; qui animam suam, non candidissimo tantùm Electorum gregi, sed & tibi scabiosæ ovi impendit.

Ex

Ex eodem Themate.

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

HOc encomium, Paſtor bonus, comparavit ſibi, dum proprium morti caput devovit, non id oneris devolvit in illum, cui vicariam gregis curam commiſit. Bonus Paſtor animam ſuam, neceſſitati moriendi non Melampum immolat, aut Lelapem, vel quempiam ex cohorte canum, quos cuſtodia gregis requirit: valor unius oviculæ, non cedit in æſtimatione apud bonum Paſtorem valori animæ propriæ; imò præponderare videtur: nam animam ſuam promptiſſimè pro anima ovis elargitur. Et Paſtoris quidem ea ſollicitudo eſt, ut lupo animam ſuam potiùs, quàm ovem objiciat; lupo tamen diverſus eſt ex ſuo ingenio guſtus: animam ille Paſtoris intactam tranſit, & totâ famis rabie, in ovem vorandam rapitur; ideoque mercenarium fugientem evadere permittit: ſed gregis perrumpens agmen, & disjiciens, mactat oves, lacerat, elidit. Alacrior aſportatô ariete, vel caprô redit; animam Paſtoris boni nè attentat quidem; tantò

tò minùs mercenarij, cui nihil opus erat fuga, poterat enim securè lanienam spectare ovium, defensionis oblitus. Non movet salivam lupo anima Pastoris, quam velut intoxicatum bolum horret. Quos visibiles lupos, ovilia Christi, ceu pestem pavent, non illi ad animas famem extendunt: anhelant ad carnem, quâ solâ ingluviem explent, Spiritum nec intelligunt, nec appetunt: tota cupiditatis illecebra, unicus gulæ stimulus, caro est. Objectant hiantibus luporum rictibus suas sæpè animas Pastores boni, rapturis se illorum offerunt, sed gustum sollicitat magìs vervex; aut carnium hædinarum pulpa; morsu denique evulsa pellis quàm anima, quæ exponitur. Ità carnivoræ belluæ, non animæ, non Spiritûs ducuntur desideriô. Hæc proinde usque, & usque ingeras audentibus, carnem requirunt, carnem & blandiendo, & ferociendo petunt: carnis privia ignorant, vel oderunt. Heu quantum Pastoribus bonis, ex ejusmodi lupis tormentum! Quæ hi non macella faciunt, quantum à carne fætente luis! Maximè cùm ante capros, & arietes in capellas,

las, & oviculas, cupiditatis oculos, & ungves expediunt.

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

Eſtne id bono Paſtori inevitabile, ut det animam ſuam pro ovibus ſuis? Cur animam, & oves ſimul habere nequit? Cur illi non conferatur Paſtoris officium, quin rapiatur anima? Paſtoris nomen magnum quidem eſt, ſed ideóne gratuito non conferendum? Sed per animæ jacturam debet conquiri? Heu! ſeculi infelicis nequitiam, & turpitudinem! Dignitas paſtoralis nominis, ſæpè tantùm ex eô noſcitur pretiô, quòd prenſantes ovilia appenderunt; id eſt: perdiderunt animas ſuas ideò, quia Paſtores ovium ſunt facti. Quàm rarũ eſt, ut vacantes Paſtoribꝰ ſedes, aptitudini petentis, congruentiæ loci, non mercedulæ addicantur. Hinc ambitione, & cupiditate flagrantes, vix non animã ſe dare, cogi queruntur; & reverâ animam dant periculis, & æternæ ſalutis diſcrimini, ut caulis ovium præficiantur: tantùm illis teneri agnellorum fætus, & poſt fætantes, tantum vellera, & pingvi lacte ſpumantia cymbia conſtant. Quicunque eſtis, qui

qui gregi Pastorem quæritis, gratuito date; abundè dat Pastor, si se totum gregi dederit. Pascat, lupos arceat, dentes illorum vel suô retundat corpore: talem si repereritis, abunde habet cura vestra præmij: ut quid pretium poscitis? Si idoneus muneri Pastor est, hoc sufficit abundè, ut Pastor sit. Si verò cupiditatem solam, non aptitudinem ad hoc munus affert, quantumcunque adnumerabit mercedis; vendere tantum officium, nefas infame ducite: si turpitudinis istius, quæ in hac nundinatione altum inhæret, nullus est horror; at DEUM vindicem vereantur collatores ejusmodi, ùt vulgò dicuntur. Hic enim totâ implacabilis severitate judicis, disceptabit cum illis, & rationem exiget, tam de officio temerato ab indignis, quàm de exitio singularum ovium, ortô à Pastoribus, per temeritatem, vel avaritiam, ovibus subrogatis. Quibuscunque igitur ea incumbit cura, ut ex vestra designatione, altarium sacrorum ministri, vel Christi ovium Pastores prodeant; beneficiorum collationes à vobis sic veniant, nè beneficia in multorum abeant nocumentum. Ità promotiones illis, quibus fave-

favetis, ſubſcribite; nè anceps in meritum, & in peſtem negotium remiſsè, & otiosè peragatis. Quàm dolendum; ſi felicior Babylonia, quàm Chriſti Eccleſia! Ibi, ut ſcitè miſceantur pocula, & concinnè tractentur, & porrigantur cyathi, ſeliguntur manus, & vultus ſinè macula: ſecernuntur eruditi ſapientiâ, cauti ſcientiâ adoleſcentuli: hic ubi non promenda vina, non hydriæ Canenſes metamorphoſi illâ inſigniendæ, ut aquâ plenæ, merum generoſiſſimum reddant; ſed DEIficus Chriſti ſangvis bibitur, & fidelium ſaluti propinatur: ubi refertæ miraculis, & majeſtate plenæ menſæ adhibentur miniſtri: quos caſus dederit: ſæpè quos avaritia, vel ambitio ſuggeſſit. Primævæ adoleſcentiam Eccleſiæ quidam ex Doctoribus ſanctis, hôc inter alia præconiô commendat; quòd calices ligneos, ſed myſtas aureos, Paſtores aureos habuerit. Nunc immutatô rerum ordine, ex quocunque ligno, & trunco, malè dolati ſculpuntur Sacerdotes; & aurei calices, quibus pretium ſe putant addidiſſe idolis hujusmodi, peritiſſimè effinguntur. Inauſpicata prorſus Chriſtianorum altaria, quibus Sacerdotes lignei

ligni, calices aurei. Infeliciſſimum ovile, cui Paſtor, lupo parum diſſimilis, obtigit.

Animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

EXitu diſcernuntur Paſtores: Boni Paſtores dant animam ſuam pro ovibus ſuis, ſed eam non amittunt. Atteruntur in obſequio ovium vires, attenuantur vitæ inſtrumenta, exſpuit dentes accerſita infantia, in conatu docendi, hebetavit oculorum aciem, affixa libris, & commentationibus ſedulitas, præmortui ſenſus ſuperſtitibus laboribus, frigidum reliquêre corpus, hæret in torpente ſangvine vitalis calor, mentis ipſa agilitas, egeſtis in diuturnos conatus Spiritibus, compeditam ſe miratur: gratulantur ſibi tamen Paſtores boni, quòd præmortuô corpore, videant ſe animas ſuas ponere pro ovibus ſuis, in benefica, & conſervatrice animarum manu Dei. Id unum illis acerbum eſt; quòd, cùm forma ex animo, gregis Chriſti eſſent, hoc informare corpus deſinent. Numerent ſanè ſollicitâ, quâ poſſunt, diligentiâ oviculæ, quæcunque in Paſtores impendunt: ventilent ſua vellera, quæ faciliore negotiô, quàm vita Paſtorum

renaſcitur : æſtiment, & guttatim appendant ſuum lac; certè plus, & diuturniùs illæ, de animâ Paſtoris ſui ſugunt. Sed O! ſtatum miſerum Paſtorum, qui per dedecora nomen iſtud infamant! O! quot Paſtores orcus numerat, qui animam dederunt, & heu pro ovibus! Non illos incurrentium belluarum rabies, non lupi inhiantes prædæ, in præceps dederunt: ſed multis exitiô fuit, aut quòd nimiùm blando ducerentur ovium balatu: aut quòd gregis obliti, oviculas, & capellas aliquas nôſſent nimis. Immune à lupi dentibus manſit corpus, ſed exerrantes poſt veſtigia gregum, cupiditates indomitæ, animam miſerè diſcerpſerunt. Quid tandem proderit ad paſcua, & tutos receptus, viam ovibus monſtrare? Quid juvabit aut Pontificijs revinciri thyaris, aut ſacrorum cætuum fuiſſe Antiſtites, Regnorum Monarchas, urbium Conſules, ſi in perpetuum interitum impellant Paſtorem oves, aut laſciviores capræ: quibus mancipâſſe animam, præmium pecuniæ, aut pretium voluptatis fuit. Utinam benignitate Superûm plures Eccleſiæ, plures regnorum Provincijs contingant Paſtores, qui & Ecclc-

clesiæ, & Patriæ, & pro Ecclesia, & pro Patria, animam dare non formident.

Pro eadem Dominica.

Lupus rapit, & dispergit oves. Joann. 10. v. 11.

Congenita est lupo feritas illa, ut impetu continuô feratur ad capiendas, & strangulandas oves. Videre, vel viciniùs adire ovilia, non consuevit; nisì ut prædam faciat; ægrè habet, si exertos dentes, & ungves ostentet, quos sangvine ovium non imbuit. Occurrunt passim, exhausti cædibus greges, vacuata ovilia, per horum sævitiam luporum: spectamus referta ossibus altaria, quæ discerptis ovibus, & agnis supersunt; ad testandam luporum memoriam, qui innocentissimi, optimi Pastoris gregem lacerârunt hactenus, & depasti; atque etiam nunc, vel cruentis concidunt dentibus, vel pressô elidunt Spiritu: irritat mansuetudo, & bonitas Pastoris, belluarum immanium crudelitatem, & acuit cupiditatem non vindicata sæviendi libido: neque tamen totô immanitatis conatu efficere lupi rapacissi-

cissimi potuerunt hactenus, aut poterunt deinceps; ut exscindant aliquando gregem hunc, in quem tot grassantur cædibus. Imò quò plùs suæ indulgent rabiei, plùs augetur numerus ovium: nam ex sangvine unius, millenæ oviculæ repullulant: Sangvis enim Martyrum, ùt continua observatio docuit, semen est Christianorum. Frustra ergo exspectaverint lupi, ut devorando gregem Dominicum aboleant; quin potiùs, quò cupidiùs famem innocentûm pastu infarcient; hôc bolô interstringent fauces: & exesis rodendo dentibus, sentient se inermes; priúsque luporum atrocitas se ipsam consumet, quàm ovile CHRISTI deficiat. Nunc quidem suâ opportunitate efferantur lupi, & ad satietatem in oves desæviunt; sed veniet quandoque tempus, cùm greges luporum, vel una ovicula, in trepidationem, & fugam amentem aget. Sed neque hâc etiam conditione perstante rerum, adeò destitutæ à suis præsidijs sunt oves, ut non metuendæ fiant lupis, si voluerint: & facultate, quâ pollent, uti non neglexerint: pavidum equidem animal ovis est, sed etiã audaciâ furentem lupum terrere potest; &
suô-

ſuômet motu non abigere tantùm, ſed & proſternere valet; ſi, inquam, ſuô hôc pavore ſcitè utatur. Quid enim magìs exitiô eſt, quàm quòd afflatu luporum contactæ, metum exuere videntur; & non cunctantiùs recedentem in teſqua ſequuntur prædatorem, quàm in caulas revocantem Paſtorem. Alias pecudes ab inferente malum periculo, fuga removet; ovibus offuſus pavor, ſic uſum hujus remedij pervertit; ut ſe ipſas in exitium concitent, cui ſe eripere debuerunt. Spontaneô curſu videntur ſequi lupum, ſi illas hiante rictu adhalavit. A lupo ſecura ſi velit eſſe ovis, metu non ſuô, ſed aliarum pecudum timeat lupum; nec ità ſe illi applicet, ut adhalantis venenô, quô obtorpeſcat, attingi poſſit. Sic in lupum redibit timor, fugiétque, cùm ſe agnoſci ab ove, & evitari viderit.

Lupus rapit, & diſpergit oves.

GEminô Paſtor damnô affici ſolet, cùm gregem illius incurrit lupus. Alias enim oves lacerat, quas dentibus, vel ungvibus ſtringit; alias disjicit, & quoquo verſùm diſpergit palatas, per campos, ſylvas,

& avia: ubi & invenire ſit arduum diſſipatas, & ſuccurrere disjectis. Quòd correpti arietis carnem lupus devoret, pellem morſu deſpoliet, ſemeſa abjiciat oſſa, belluinæ imputandum ſævitiæ, & conſuetudini eſt. Sed quid commodi rapaciſſima bellua, è diviſis à ſe, & in diverſa pulſis ovibus habet? Cùm oportunior ſit fameſcenti præda, in acervatis; niſi fortè etiam ineſcatæ rapacitati, & tot ſucceſſibus inſoleſcenti audaciæ, timidiſſimæ quoque oves verendæ ſint; ſi hæ ſibi cohæreant, & ſimul jugulos quanquam inermes, opponant. Novit ſcilicet lupus, ſingulas oviculas certiſſimam ſibi prædam eſſe; ab adunatis verò ſuum retundi furorem, & frangi facilè; ideoque perrumpit junctas, &, ut ſibi ſeorſim fugâ conſulant, totum furorem exerit: hoc compendium prædandi putans, nè aciem denſatam ovium, ſed palantes impetat. Nec verò exiſtimandum, quòd tam veloci, tam ſollicitô curſu advolet ideò, ut quem opimum notavit arietem, & ſuæ ingluviei explendæ adipatas ſubminiſtraturum carnes, in hunc feratur: etiam quas vorare non intendit, & mactare oviculas; fugare, diſſipare, in diverſa propel-

pellere quærit misellas, & ægrè illum habet, si conglobatas videat. Novit enim non minùs suas esse oves, quas dentibus premit, & super quarum voratu procubuit; quàm illas, quas ab ovili rejicit, à Pastoris oculô, & sollicitudine propellit. Separatas suæ libidini servat rediturus, ùt ad certum depositum, ubi desiderium rapiendi, præsenti expletum prædâ rediêrit: more furunculorum, qui, si universa, quæ involârunt, averrere nequeunt, fidis sibi reponunt latebris, ut per otium, cùm libuerit, tollant. Dissipatæ oves, nec ampliùs notæ Pastori, & fideli canum custodiâ destitutæ, sunt certissimum depositum lupi.

Lupus rapit, & dispergit oves.

INgenium lupi, potissimùm dæmon, & seculi vanitas perbellè exprimunt, & referunt. In idem uterque curas conferunt, ut ab ovili Christi, à munimine, & sollicitudine Pastoris oves abducant. Nihil attinet, quòd harum aliqua nondum ungves experta, immunem se sentiat, si solivaga, & curam pastoralem perosa, quò libuit, exerrat; & quem porrigit cupido, sectatur pa-

ſtum; ſi ad molliora ſtrata ſecedit, ſuam jam eſſe non ſperat tantùm, ſed exultat, tanquã de poſſeſsâ, lupus, dæmon, & mundus. Similem diſperſionem Jſraëlitici gregis, non queſtibus tantùm, ſed acerbô proſequebatur ille planctu, qui flebiliter inclamabat: *Grex diſperſus Iſraël, Ierem. 50. v. 17.* Eandem perniciem alibi, lugubri voce perſonat DEUS, Paſtor optimus: *Diſperſæ ſunt oves meæ. Ezech. 34. v. 5* Disjectæ ſcilicet, & velut tempeſtatis turbine raptæ à ſuo ovili, ideóque hiantium luporum eſca, & ludibrium factæ. Laboris, & induſtriæ Paſtorum, non mediocris laus eſt; ſi diſſipatas, & afflatu lupi attonitas oviculas, in agmen, à quo dilabuntur, cogant, eíque reddant. Sed fortaſſis diſperſas oves, difficiliùs eſt gregi, & ovili reponere, quàm laceris, & belluinô dente concerptis mederi. Unicum diſperſis ovibus remedium eſt, ut turmatim ſe in ovile ſui Paſtoris recipiant, & timeant, fugiántque diſperſionem. Fuga hæc illis & præſidium, & munitionem præſtat. Grege totô ſpectante, ovem quampiam aufert bellua immanis, totus ſe in ſecurum grex recipiat; id eſt: ad Paſtorem, & canes illius

fu-

fugiat; hærere in vestigio, & prædonem ex-spectare, quid aliud est, quàm exitium ac-cersere; illustro claritate, obscurius dictum: si flagitiorum incitamenta incurrimus, si occasionibus pellacibus, quantumcunque firmam virtutem objicimus, quis credat, non nos studiosè perire velle, cùm ex simili occursu plurimi periêrint. Nondum abo-lita sunt cruenta vestigia Christi ovium, quas sua securitas prodidit, & lupinis fauci-bus inseruit. Remotum existimare discri-men, adrepentes non intelligere blanditias, lupô colludere, pestis plurimis fuit. Sen-serunt cladem suâ sublimitate admotæ cælo oves; erubuerunt, & horruerunt sacerrimi quoque, & sæculo inaccessi cætus, non peri-cula tantùm, sed damna, & probra experti; quoties intra sua septa, licentiosa confiden-tia adrepsit. Credamus, necdum illud præ-dictum à Vate sacro advenisse tempus: *Ha-bitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo, ac-cubabit vitulus, & leo. Isaiæ 11. v. 6.* Non-dum aut lupi, aut pardi, aut leonis cicura-ta feritas; necdum hebetata gula, necdum illis sangvis agnorum, & ovium desipit. E-tiam nō intentantibus ungves, salutare est;

non fidere. Illa tamen potissimùm in tuto est ovis, quæ in seculi illecebris lupum blandientem, & se advolutantem, in dæmonis insultibus ferocientem, & rugientem leonem; in carnis fraudibus variantem maculas pardum, constantissimè fugit; sed se non sub sylvarum umbras, aut cavernarum latibula, verùm sub Pastoris manum recipit. Sua hebetudo, aut privilegium temporum, excusat vitulum: si hic accubuit alquando leoni, nunc tamen, cùm pericula non exarmata nos cingunt; innocentiam à belluis non exspectemus? Sola segnitie hostium defendendi: si lupum sylva, avia deserta pardum, ovem autem, & vitulum sua caula detineat; tum demum etiam inermibus securitas ovibus erit. Exspectare, ut manifesta discrimina, quibus applicamur, per prodigia DEUS submoveat, stultitiæ non vulgaris est; quam spes, vel opinio insana innumeris imposuit. Petat quisque à DEO, nè unica ovicula, anima scilicet sua, præda luporum fiat, qui illi pridem inhiant.

Pro

Pro eadem Dominica.

Fiet unum ovile, & unus Paſtor. Joan. 10. v. 16.

PRofundioris vix reſtat infelicitatis gradus, in quem recidat grex, quàm ſi mox illi, modò alteri ovili ſe includit; & tam paſcua, quàm Paſtores alternat. Actum eſt de illo, ſeu ariete, ſeu ove, cujus tutela jam mercenario contigit, mox etiam lupus non rejicitur, ſi præeſſe ovili velit; cani demum cuſtodi non recuſaturo prædam, atque tandem cura Paſtori committitur. Circa pupillum unum, ſi turba curatorum diſceptat, ſinguli rem ſuam, non pupilli agent. Una, plures heros ſi reſpectet familia, ductores multos, ſi exercitus imperia accipiendo auſcultet, eandem perniciem habebunt, quam afferunt gregi plures Paſtores. Salubrius nihil eſt, quàm ſi ab uno capite ſuprema habeatur directio: quæ ſi à pluribus exſpectatur, incerta, & ſæpiùs in multiplicitatem errorum degenerat. Millenos in amicitiam adlegere, comitatum tam famulitij, quàm intimorum contubernalium agmine, liberum eſt augere; magiſtros plures adſcire,

qui

qui aut ingenium doctrinis, & consilijs imbuant, aut lingvam, seu gallicô, seu germanicô, & italicô idiomate forment, fas est: unicus tamen retineatur Pastor, unum Christi ovile. Qui uni ovili plures inducit Pastores; partitur, imò impiè scindit Christum. Acriter Apostolus suas castigabat oves; dum illis usitata studia, in plures cætus Ecclesiam divisura, tanquam probrum objecit: dum sibi alius Paulum, alius Apollinem, alius Cepham in Pastorem adlegit. O! quot nationum, & æmulorum imperiorum studijs, ovile Christi distrahitur! quod in pretioso, & angulari lapide coaluit! Persicæ thyaræ, suô fulgore percellunt aliorum oculos, Darios, & Xerxes, & Cabades crepant, & Christum in fratribus non vident; nisi insignia viderint imperij, per cujus splendores dejerant. Alios Chaldæum diadema sic arctat, ut porrigere amorem, ad ejusdem fidei domesticos nolint; nisi illos Nino, Semiramidi, & auspiciô Syrarum columbarum, credant mancipatos. At tuum tibi Xerxem, tuum Ninum habe, dum Christum Pastorem non repudies, quem nec imperiorum, nec gentium diversitas exclu-
dit,

dit suo ovili ; quod tam amplum est, ut omnes capiat. Cur ergo ab uno ovili ad ad alia discurritur. Ab orthodoxa fide ad opinionum impiarum, & novarum portenta transitur tam facilè ! Unus DEUS, una fides, ovile unum, unus proinde Pastor esse debet. Erumpere aliò ex Christi ovili, in quô nos ad securitatem ostia sacra meritorum, & legum repagula servant, non periculosum tantùm, sed & nefas immane est; postquam Pastori nostro Sacramentô adstricti sumus ; quod vel mente rescindere velle, impietas turpissima est. Fæcundus totâ æternitate Pater DEUS, ùt unum generat verbum, ità unum Pastorem suo præfecit ovili.

Fiet unum ovile, & unus Pastor.

ADmirandum, & indefessum boni Pastoris studium, in suis tuendis, & educandis ovibus relucet: percursant vagæ, Pastorum, & pastionum, & caularum experimenta captant; quò libuit, quò sua mobilitas impulit, feruntur; non semel multiplicatô, & repetitô transfugiô, alieno se ovili miscent; nec ejurâsse necessitudines, & affectus

ctus priores contentæ, cautione chirographi sublatâ, sæpè se tanquam legitimè perfidæ, mancipant dominis non suis. Bonus tamen Pastor non sustinet, ut ad pereuntium malum obduretur. Movent illi dolorem, exitia perfugarum, sed non indignationem. Ea scilicet cura perdies, & pernox miserantem coquit, ut fugitivas retrahat, luporum faucibus hærentes extorqueat, & in stationem tutam reducat, vel impositas humeris deferat. Heu! quô in numerô exemplum istud pastoralis pietatis elucescit! Transfugitis ad sepimenta hæresum, capri, & capræ plures, ovium enim nomen transfugiô scelestô exuistis: sed etiam de vobis in sua ovilia reagendis, cogitare, & laborare, non desiît bonus Pastor; etiam vos ovili accensendi, si vestra conscientia compelli permiserit; vos, inquam, qui toties ad sacrum pœnitentiæ tribunal, magnorum criminum immunes, patrocinante clementiâ Divinâ, pronuntiati, toties vos ijsdem reatibus induitis; quid aliud hæc alterna conversio, quàm vestra loquitur transfugia, ab ovili Christi, ad olidissima stabula: Christum vix secuti ad vitæ ducentem pascua, mox ad dæmo-

dæmonis,& vanitatis ſeculi paſtus rapimini; & vos ab inimica,& immiti mulgeri,tonderi, imò excoriari manu ſuſtinetis; tanti vobis eſt, ut alienum Paſtorem experiamini. Deſinétne aliquando hæc transcurrendi, commutandíque Paſtores inſania? Saltèm damna, & horror mentem vobis reddant. Non advertitis miſellæ pecudes, vos ad macellum, & ſpelæa latronum tranſire; id tamen ovile vocatis, aut dici vobis patimini. Quid aliud vos ſcabioſæ oves manet? niſi exeſſe à contubernio illarum,quæ dexteram occupabunt. Quemcunqe Chriſti ovile admiſſum incluſit ſemel, non patre, non matre pelliciente, non ullius neceſſitudinis anniſu, extrahi inde debet.

Fiet unum ovile, & unus Paſtor.

OVium, & arietum agmina non exigua occurrunt, à quibus inquietâ levitate, an faſtidiô, ab unô conſcientiæ arbitrô ad alium,certatim commeatur. Obeuntur pænitentiales exedræ; quod nihil aliud eſt, quàm Paſtores mutari. Ubique ſal, aut avertendis, aut expungendis putredinibus quæritur, ubique eum curſim libant, & re-

ſpu-

ſpuunt erraticæ oves; ea tamen potiùs frequentant ovilia, in quib9 minus de ſale, putri adſpergitur, & levi manu ſcabies palpatur. Magnâ peritiâ, & diſcernendi claritate quilibet Paſtorum eget; aſperiórne, an lenior medela ſcabioſis ovibus; oleúmne tantùm, an & vinum miſtum ſale, an etiam cataplaſmata applicanda ſint, quæ profunditatem retegant plagarum: quod genus medicinæ, ſemivivæ, hoc eſt, propiùs morituræ, oves non patiuntur; illis non ſal, non acetum, & corroſiva, ſed oleum tantùm inſpergatur: è contra, quibus tantum virium adeſſe Paſtor videt, ad profundiora curationis acrioris, & efficacioris remedia deſcendat; aquis fortibus, & ſervaſeris, & igni, & ferro, ad præcidenda noxia, non parcat. Sæpè fomentis irritantur mala, ſæpè etiam in deſperatis lenitas plus viriū habet, quàm vehementia: ùt illi Sunamitidis filio, ſæpiùs applicitus, & fortè validius impreſſus baculus, vitam non reddidit; leniùs infuſus, & inſpiratus halitus vitam ei reſtituit; quanquàm Prophetæ ſanctiſſimi veniâ, conſultiùs futurum fuiſſe putarem; ſi ad revocandum à morte puerum, ferula, non baculus fuiſſet

adhi-

adhibitus. Petamus à DEO supplices, ut nos illius gratiâ in uno ovili Christi detineamus; neque plurium Pastorum curam, neque scabiem experiamur.

Pro eadem Dominica.

Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Joannis 10. v. 14.

CHristus Pastorum omnium benignissimus, omnes, quos æternitati beatæ destinavit, oves appellat, & in sui ovilis parte censet. Quæ appellatio, satìs notat felicitatis illius pascua, solis ovibus, non gregi alteri servari: & filiorum regni, illud insigne est, ut sinè Pastore non oberrent, dum per mortalis vitæ pastus transeunt ad latissimos æternitatis campos. An enim Christi dicenda ovicula, quæ universalis Ecclesiæ septa fugit, aut haram illi quamlibet præfert, cupiditatem licentiùs errandi sectatur, securitatem Christi ovilis bene ordinati, & muniti odit, obsurdescit ad vocem Pastoris salubria monentis, proculcat officia, & imperia, quæ plerumque pastoralis sollicitudo miscet? Ovem ejusmodi CHRISTUS non agnoscit, vel ad minimum

non agnoſcit ſuam; neque inter ſui gregis agmina, vel in mortalitate, vel in æternitate computandam. Per mitiſſimam Paſtoris Chriſti, quæ ipſi congenita eſt, indolem, felicitate illa, non indignæ videntur oves, quibus in mortali vita, cibi ſunt innocentes, non oves emaciatæ eſurie illa, quæ alias pecudes audere plurima in damnum internecinū docet, non infimas, & humiles terræ arbuſculas excoriant, & deſiccant, non comas frondium, non flores involant, non etiam gramina, maximè obnoxia injuriæ, exſtirpant, & cum radice evellunt: attondere cautè renaſcitura, contentæ: ut verò aliorum carne animalium, vel ſangvine ora polluant, tantum abeſt, ut hoc illis nè mors quidem per famem admota perſuaſerit. Quid, quòd Paſtoris opem, & humanam ſollicitudinem expertæ, promptiùs, aut liberaliùs impenſas ſibi rependunt curas, nullius periculô domantur, nullius cicurantur ingeniô, nisì ſuô; non vinculis, non retinaculis cohiberi debent, ut cymbia quotidiano lacte impleant; in placidiſſimi fætus examina, non fruſtrante quotannis fæcunditate, ſoboleſcunt; non vellera, avaræ etiam

tiam manui subducunt sæpiùs tonsitanti, & cutem etiam forfice stringenti, & cujusque injuriæ sensus, solum intrà balatum illis est. Vos, fœdissimi capri, & capellæ, quô suô commodô, vel solatiô, intra sui ovilis septa Christus habet? Nè speciem quidem ovium illius refertis. Certè non agnos à vobis habuit, aut exspectat Christus, qui horret potiùs, & aversatur nocentissimam in vobis fæcunditatem, quæ non recipit tantùm venena, & educat, sed multiplici proventu auget; imò saluberrima etiã alimenta, in venena transformat, quoties perniciali fæcunditate non eos fætus, qui agnellos referant, effunditis! Sed qui venena viperarum excedant. Hædinos fætores halare faciliùs vobis est, & incondito balatu obstrepere, quàm ut forficulam Pastoris admittatis, licèt tam spissô, & luxuriante oneremini vellere, ut de vestris lanis, non Pastor tantùm, sed & ovili addicta familia, in plures quoque hyemes posset incalescere. Quô ergo documentô Pastor Christus electarum ovium vos agmini adnumerabit? Contrarium suadet negata lana, obstructæ Pastori aures, vestigia denique non in campis Chri-

ſti impreſſa, ſed in luporum ſemitis exſtantia: ſi oves Chriſti eſtis, non vobis tantùm ferre debetis vellera; etiam egeni jus in hæc habent, quæ vobis ſuperfluunt. Non Colchicum certè veſtrum eſt vellus, ut inacceſſum ſit pauperibus, veluti cuſtodiâ draconum, veſtrâ ſcilicet avaritiâ, & ſævitiâ circumſeptum: cur aditum Paſtori interdixiſtis? Non certè hic Jaſonem aget, qui veſtros theſauros furtim transferat, aut quidquid dederitis, ſolus habeat. Vobis, prolibúſque veſtris in æternitates ſuffectura ſunt, ſupererúntque plurima, ſi de his, quæ à liberalitate Paſtoris veniunt, etiam ille non excludatur. Cur non contendimus mortales, ut, ſi non ſecuram, certiorem ſaltem prædeſtinationem noſtram habeamus.

Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.

QUemadmodum Paſtori expedit, ſuas oves nôſſe, ità ovibus unicè perneceſſarium eſt, ut Paſtorem ſuum noverint: non in illa manu errent, à qua alimenta exſpectant, non illis ambigua ſit vox, à qua regi, & in ſecuros perduci paſtus debent: nè

ſcili-

scilicet alijs, aut violenter mulgendæ, aut avarissimè tondendæ, aut excoriandæ obveniant. Pastoralis curæ præmium, & lac, lana sit: nam perverso agitur ordine, si Christus pascat oves, & alius ex Machiavelli disciplina, cymbia lacte ovium implet. Unus grex duos Pastores sibi oppositos non admittit. Quid enim ovili Christi cum Machiavello? Quid ad candorem instituto gregi, cum duplicitatis, & fraudum officina? Psevdopolitia plurima comminisci potest, sed nullum jus, quô in oves Christi cupiditatem palliat. Certiora Christi imperia sunt, quibus oves suas, à technarum meditamentis, & Machiavelli institutione diremptas voluit; nisì sui præceptoris malint petulanter transilire septa, & Sacramentum, quô Salvatori suo obstrictæ sunt proculcare. Fugere, opposita Christo docentes, oves Christi debent: quarum obligationem, & consuetudinem describendo ait ipse: *non noverunt vocem alienorum, & fugiunt ab eis.* Si quæ igitur ovium, nec alienos aversari audet, nec à Christo recedere, simplicitatis, & candoris transgressa fines, jam extra ovile Christi, & ad amorem illius peculiali-

ter electi gregis, censetur esse. Miseret me tui, quisquis de numero ovium Christi es, si te pseudopoliticorum, non sollicitantes intellectum argutiæ, sed næniæ imaginationem ludentes excantârunt; ut his abducaris, imò ad laqueos tibi positos festines: si impietatis dictamina, quàm Evangelij, avidiùs, & sæpius volutas, si ad ea capienda intellectum urges alacriùs; quæ nequitiam, & scelus docent, quàm ad illa, quæ Divini notitiam luminis conciliant. Quid aliud de te fateris, quàm quòd Pastorem tuum, Christum non agnoscas.

Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.

REperiuntur nonnullæ oves adeò Pastoris sui vocem, & candorem fastidientes, ut variegatos maculis credas citiùs pardos, aut chameleontes, qui tingi quovis colore præterquam albo, expeditè possunt: ità se intrà simulationes abdere nôrunt, ut perspicacissimos quoque Pastorum oculos fallant; diversissimámque speciem, momentis propè alternis objiciant. Pastorem sequuntur, sed nec mercenarium abhorrent, sæpe quoque

que ad lupi, & furis illices nutus respectant; & licèt noverint, non venire hos, nisì ut furentur, & perdant; aurem vocanti, & dirigenti Pastori præbent unam, alteram oppositis hortatibus, & susurris acclinant; sed nō adeò facile est, pastorem ambiguis callibus in labyrinthum deducere; qui scit tortuosas semitas ad rectitudinem, & aspera in vias planas revocare. Sed utcunque hoc astutissimæ ovi, aut capro successerit; consultiùs est simplicitate parendi, amabilibus Pastorum præceptis respondere; non duplicitate curas illorum exasperare: nihil animi nostri etiam abditissimum tectum habeamus Pastorum notitiæ, quibus animam, velut ovem deducendam credidimus. Noverint affectiones, debilitates, atque etiam errores nostros, ut his remediô, vel consiliô non desint. Quæ enim ovicula statuæ illius Nabuchodonosoris effictæ, similitudinem adamavit; ut in aliqua sui parte aurum, alia argentum, alia æs, ac ferrum, denique & lutum in alia exhibeat; species auri, vel argenti non ità fascinabit Pastoris oculos, ut omnia aurum credat, nec enim aurum à squalore cineris discernere arduum, in

quem ejusmodi mistura defluit. Cognoscit Pastor, qua parte ovis illius argentum, & quâ lutum ferat. Mallent sæpiùs Pastores, suas penitus luteas oves esse, nam in formã refingi commodam, faciliùs possent, quàm inter materiarum non connexarum varietates, oculos, & manum correcturam suspendere. Non se tamen abditas intrà suas varietates, & ignotas Pastori, oves credant, cùm expresse dicat: *Cognosco oves meas.* Spiritum Pastoris, & oculos, quid convenit tentare? Nisì pernicie nostra cognosci, à lupis, & mercenarijs, quàm à Christo malimus.

Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.

NOn tantùm nota æternæ salutis consequendæ, sed & suffragium est, in Christi verbis expressum: *Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Utì & illud ejusdem Pastoris ineffabile effatum: *Oves meæ vocem meam audient.* E contrà, horrore plenum, & non tam præsagium, quàm edictum est: *Propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis. Joan. 8. v. 47.* Quid aliud timendum sit, si hoc timorem non incutit; judicent illi,

illi, qui ad Ecclesiæ monentis, & conscientiæ arguentis voces, obsurduerunt ità, ut etiam illos excommunicationum tonitru non percellat. Quid hos aliud manet, nisì ut in extremo seculi die, cùm disceptabit cum peccatoribus DEUS Judex, ultimum à beata æternitate proscriptionis decretum audiant: cui non extinctæ candelæ, ùt in Ecclesia solet fieri, sed sol obscuratus, & luna præmittetur; nec æra campanarum, sed fulmina pronuntiabunt ablegationem in æternitatis infelicissimæ abyssum omnium eorum, qui oves esse Christi noluerint. Certè exclamatio dolentissima huc respicit, cùm dicit: Meliùs, *si natus non fuisset homo ille. Matt. 26. v. 24.* Non alius certè homo, nisì qui ovis Christi noluit esse. O! quanta nobis allaborandum sollicitudine, ut electarum ovium characterem, & feramus, & in æternum perferamus! Absit, ut vel pellis, vel aures, vel planta electæ ovis, hâc notâ non sit insripta: *Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Pete à DEO, ut, cùm & extrinsecus, & secundùm omnia intimissima notus sis Christo, Pastori tuo; tu quoque Pastorem tuum noveris, simúl-

que impetra, ut cognoſcas, quanto tibi commodo ſit, quòd Paſtore iſto non deſtituaris.

Dominica III. poſt Paſcha.

Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem. Joan. 16. v. 16.

MIgraturus è terra ad Patrem Chriſtus, abitûs ſui conſcios Apoſtolos voluit: videtur id quodammodo ſuperfluum: imò ſuprema in creaturas poteſtas, nõ eò demittenda erat, ut rationem redderet, ſeu abeundum, ſeu manendum collibuiſſet maximè cum ſubjectis: quibus, ubi per familiaritatem, in regentium conſilia aditus patuerit; pronum eſt, ut in arcana oculum immittant licentiùs, & injuriam putent, ſi ſententia ſua, & arbitrium excludatur. Abſcedenti Chriſto non congruebat, ut id permiſſu veluti Diſcipulorum faceret: ſed ità humilitas Chriſti ſuaſit. Ambitionis humanæ uſus, & ſtylus, ex dictamine ſuarum legum, faciendum aliter monet. Quiſquis cupiditatem imperandi tam delicatè apud ſe ha-

habet, ut ambiguissimæ etiam auctoritatis umbram, cor suum existimet; illi strictura minima honoris, cædes est vitæ. Christus, non qua gravitate Romanum Consulem, intuentium oculis repræsentaret; sed qua suavitate Patrem exprimeret, laborabat. Et certè, nihil amplitudini personæ detraxit hæc facilitas; per quam clientibus suis noluit occultum esse abitum suum: imò intendit Discipulorum erga se amorem, postquam eos in sui cordis intima admisit. Nusquam suos Christus hærere perplexos voluit, & incertos ambiguitate; quæ haud dubiè fuisset consecuta, si ab illorum oculis evanuisset insperatè. Nec Elias coram Eliseo, discessum suum tectum voluit: nec Paulus reticuit coram illis, quos sciebat, ex denuntiatione profectionis suæ, præcisa spe reditûs, aliísque ingruentibus calamitatibus percellendos. Procul fuit Salvator noster ab illa nonnullorum indole, qui omnibus dispositionibus, actionibus, itineribus suis, velut Sanctuario vela obtendunt: & vel inquirentibus, vel leviùs suspicantibus, non supercilium tantùm, sed & furorem objiciunt.

Modi-

Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.

UNam, eandémque rationem dedit Christus, tum ſui è terra proximi abitus; tum reditus feſtinati in terram, quòd ſcilicet ad Patrem iret. Et facilè quidem concipimus, urgentem fuiſſe Chriſto neceſſitatem, quantocyus ſe ad Patrem transferendi ex terra; quæ ingratiſſimè accepit venientem, indigniùs commorantem habuit, poſt ingratitudinis verò faſtidia, excipiendus erat ultra adorationes cæleſtium incolarum, amplexu, & conſeſſu Patris: qui nulli, aut amori Apoſtolorum, aut venerationi DEI paræ Virginis comparari poterat. Non immeritò itaque accelerans iter, pronuntiat: *Modicum, & non videbitis me: quia vado ad Patrem.* Sed & jámne, poſtquam Patrem adièrit, ea ratio eſt, ſe terræ, & Diſcipulis reddendi, quòd ad Patrem vadat? *Modicum, & videbits me, quia vado ad Patrem?* Ex Patre in Chriſtum derivatus eſt humanæ ſalutis amor, illiúſq; promovendi ſtudium: viſo igitur Patre, non refrigeſcet hic ardor, ſed

sed geminabitur; eóque celeriùs Pastorem ovili, Magistrum Discipulis, periclitantibus Salvatorem reddet: alios quòcunque à Collegio Apostolorum digressos hæc occasio, quòd ad Patrem excurrerent, determinâsset, vel ad oblivionem reditûs, vel ad commorationem diuturnam. Suô tamen exemplô Christus docuit; quò plùs suavitatis, consuetudo sangvine junctorum promittit, & ingerit, eò festinantiùs declinandi, vel abrumpendi sunt sangvinis nodi; ut ad Collegium Apostolorum quantocyus redeatur. Christus Lazari domum invisesere, non injucundum habuit; Samaritanæ occursum non horruit, imò colloquio diuturniore detinuit: Zachæo se convivam ultro obtulit: fraternarum litium arbiter esse recusavit, ad divisionem patrimonij invitatus: nè in aliena domo, implicaretur ad longiorem moram secularibus curis. Plures ex Apostolis dum agrorum, vinearum, latifundiorum ambitus apud suos lustrant; pecorum, & ovium census ineunt, mobilium supellectilis familiæ definiunt pretia, vix extricabiles compositiones amicitiarum, & partium prætendentium ambages evol-

evolvunt, regredi ad Collegium, & propria vocationi ſtudia, cogi debent. Chriſti vox, & exemplum non excidat, domum ſe conferenti Apoſtolo: *Modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem.*

Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.

DUm prædixit Chriſtus, quòd eum modicum non viſuri eſſent Diſcipuli, corporalem ſui præſentiam ſubtracturus erat illis: nunquam tamen avertendos voluit aut ſuos, aut Patris oculos, à ſibi amato Diſcipulorum cætu: nos parum ſollicitè obtutum DEI quærimus: Creatorem per intervalla, ſed non modica, creata, nè obiter quidem aliò flexis oculis, brutorum inſtar animalium ſpectamus. Utinam amabilis Chriſti ſpecies, tam arctè nos detineat, quantùm detinent vanitates, & inſaniæ falſæ. Tædium multis, imò faſtidium ſæpiùs ſuboritur; dum ſpectandi felicitatis ſupernæ fontes, in Salvatore nobis, ejúſque vulneribus occurrunt. Si te, O Homo! aſpectus Domini tui tam amabilis, & non intermiſ-

miſſus non afficit; & viciſſim in ſe non rapit oculos; at ſaltèm id commodi ad te derives, ut te, ſpectantis memoria, ut te cogitatio reſpectantis, in non averſandos componat mores: & ſi piget amare bonitatem ſummam, vereare oculum penetrantem cuncta, cuncta ſuperciliô moventem, oculum ſuper te non clauſum. Abſit, nè ullo unquam ſe murmure, vel nutu prodat illa ſtultiſſimorum vox: *DEUS per cælorum alta graditur, Chriſtus non conſiderat.* Non aſpectus tantùm, ſed amoris etiam, in ſuos clientes perpetuitas, nunquam omiſſa à Chriſto. An enim tam ſollicitè intueretur, ſi non amaret: nos in amore, nimium nobis proceſſiſſe in Chriſtum videmur, ſi lacrymula areſcens illico, excidat: ſi ardentius ſuſpirium, ad momentum prorumpat; quod auras tantùm ferit, nec uſque ad cor DEI pertingit. Non agnoſcimus, quàm modicum ſit illud, quod indomitarum paſſionum fluctu non miſcetur, & aboletur: plures, quærentem ſe DEUM, fugiunt, & ſpatiô ſe longiſſimô diſtare à vindice manu credunt; ſi in avia, quò cupiditates ducunt, abiêrint: at fulmine accenſo nec errante, præſentem

ſe

se ostendit DEUS; ostendit modicum distare, imò jungi sceleri pœnam, quæ lentô pede successura putabatur, nonnullis etiam, qui se Christi Collegio addixerunt, non tristitiæ, sed solatij vox ista est: *Modicum, & non videbitis me.* Molestum illis, continuis præsidum oculis patere; & veluti torrenti soli exponerentur, umbram circumspiciunt: & cùm degeneri oculo connivere solares radij nesciunt, diem esse in meridie nolunt. Abire Christum, talibus videtur lucrum: & quia sanctæ consuetudinis pertæsum est; reditum nec festinatum, nec serum optant, quia Judicem horrent. Non nobis tædia generet, Christi se communicantis facilitas: cùm ista, se indulgentis benignitas, æterna nos illi necessitudine adstringere debet: si nostræ inurbanitates, & fastidia, à nostro illum contubernio exegerint, non eum derelictum putemus; cùm & Patrem, ad quem se recipiat, & thronum habeat paratum apud illum. Sed nos, si deseri ab illo contingat, quæ nos regio excipiet, quæ latibula tegent? Si cum illo amiserimus, sub cujus quæso alas, & umbram convolabimus? Firmemus in Christo obtutum, quamdiu per

per illum licet; nec ſimus, noſtra ſponte ità infelices, ut per momentum ſolùm, velut fulgur nobis illuceſcere JESUM, habeamus ſatìs. Nam ſi breviſſimè nonnisì, videndum toleramus; paratos nos quodammodo oſtendimus, ut nunquam videamus. Petendum à DEO, nè unquam vel ad momentum abſentiam DEI experiamur.

Ex eodem Themate.

Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.

INſignis prudentia Chriſti in regendis Apoſtolis enituit: Ità Salvator ſui uſum attemperavit, ut nec inacceſſum faceret, nec nimis obvium, & ipſa facilitate vileſcentem. Ità aderat directione, & ſubſidiô Diſcipulis: ut eos non continuatâ præſentiâ, & vultu, oculóque adhortante ad agendum, & non interruptam operam, urgeret. Permittebat non nihil laxari intenſionem animi; vel ad doctrinæ propoſitæ intellectum, vel ad venerationem ſpectabilis majeſtatis: quod videntur ſonare verba præfata; *Modi-*

cum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. Neque tamen in longum aberat, ut ex dictis nō obscurè colligi potest. Inter necessitatem, & fastidium, temperabat sui copiam: interveniens identidem, amabili Discipulos erigebat, & illuminabat aspectu: non perdius, & pernox impendebat, quia id profectui Discipulorum, non accommodatum fuisset, sed variabat tempora; vix abitum suum proposuit, mox, ut redituram scirent proximè, suæ diligentiæ illos, & sibimet ipsis reliquit: *Modicum, & videbitis me.* Multum id laudabile fuit, quòd nec per spatium temporis notabile emanendo oblivionis speciem fecerat, nec assiduitate molestiam: Agnum, credibile, tanquam occisum in throno imitatus; qui mortualibus, & langvore stupentibus oculis, non minùs stationem fixam in throno occupans vidit; quàm si immistus coronatis senioribus, & astantium turbæ cum palmis, concursaret sollicitè, & inquietus obiret singulos, quàm concinnè, & ad legem decoris, aut corona capiti cuipiam insideat, aut palma gestetur manu. Non ingerenda igitur nimium præsentia subjectis, nec differenda

diu-

diutiùs. Mensem integrum absuerat à castris Moyses, & mox perversio Israëlis, vel totius, vel propè totius secuta indignissimè.

Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.

NOn modicum puto esse modicum illud, ad quod privatio visionis Christi, vel ad momentũ consequitur. Suô id probavit damnô Rex vates: *Avertisti faciem tuam*, inquit ille, *& factus sum conturbatus. Ps. 29. v. 8* conturbata certè apud Regem illum fuerunt omnia: non suum locum tenuit ratio, ab imperij dignitate, per cupiditatem dejecta: non multo labore paratus virtutum comitatus mansit: locum prudentiæ occupavit impetus: clementiam fugavit crudelitas: candorem mentis suffudit simulatio: timorem Numinis abegit oblivio; adeò omnia in confuso manserunt, ut nunquam prudens judicium assereret, modicum esse, quidquid nobis aspectum Christi subducit. Ex parte tamen Christi, ùt DEUS est, modicum, & nihil æstimandum Divinæ Gloriæ

augmentum illud, quod à viſo per nos DEO, Majeſtatem externam Divinam amplificat. Accedat ſanè numerus laudantium pulchritudinem infinitam, dum Beatorum creſcit cœtus; ſed quid augetur inde infinitæ omnium bonorum collectioni, quid confertur ſufficientiſſimæ ſibi perfectioni, ſi à mortali, aut quocunque creato intellectu videatur, æſtimetur, laudetur? Nobis iſta proſunt, qui ex inexhauſtis fontibus trahimus dulcedinem, & in abyſſo voluptatum puriſſimarum mergimur: nihil pelago illi addit, qui hoc ſe gaudet circumdatum. Haud dubiè beati oculi ſunt, qui vident indulgentem ſe videri DEUM: ſed hoc, quod vident, modicum eſt DEO, oculis multum. Non refunditur in ipſum ſpectaculum, quod de ſe creaturis, per æternitatem apparat DEUS, hæc felicitas, ut infinitæ beatitudinis Divinæ cumulum augeat, ut commodum, vel oblectationem aliquam faciat, quâ ante caruerit. Infinitum certè accipiunt, quia DEUM ipſum accipiunt, qui felicitati perenni adſcribuntur; ſed cum ad menſuram & meritorum, & potentiarum, hoc eſt infinities accipiant; non majore bono, ſed

ma-

magìs atque magìs hôc ipsô infinitô expleri poterunt: adeoque quantumcunque DEUM viderint, modicum est: quia visio hæc, nunquam ità extendi potest, ut ultra, vel claritate, vel universalitate, vel simplicitate pertingere non valeat. Cur igitur non miramur nostram beatitudinem DEO prorsus inutilem; tantum curari, tanto promoveri apparatu subsidiorum sæpè pereuntium, tanta gratiarum impensa comparari, Sangvinis demum DEIficati pretiô emi? Videre DEUM, non modicum nobis videri debet, si per immensitatem æternitatis sufficit ad nos faciendos felices: sed DEO prorsus modicum, imò nihil est: qui, neque dum beatis se communicat, ità liberalitatem consumpsit omnem, ut plus munificus esse nequeat.

Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.

CONsiderandus est ordo, quô Christus usus, dum de visione DEI Apostolos instrueret: primò dixit: *Modicum, & non videbitis me.* Prima est ignorantia, quæ nos

excipit: &, ut operum Divinorum in prima mundi molitione series, vesperam praecedentem habebat; quam matutina lux sequebatur, illáque erit diei unius compago: ità nobis simile quid accidit: pannis infantiæ, quasi inscitiæ caligine involvimur, ut obscuritas teneræ imbecillitati oculi consulat; intra quam convalescit acies, ut lucem ferre possit. Intellectum pariter in hebetudine sua relinquit natura, antequam ad sublimitatem acuat; ut repere primò, antequam volare discat; à minimis, & facillimis procedendo, scientiæ ex diligenti observatione naturæ artem instituendi fecerunt. Per eosdem cognitio humana incedit gradus: ut vel terrenorum notitiam, vel ex ijs, quæ sensus rationi admoverunt, ad DEI quoque intellectionem enitatur. Nativitas nos in infantiam, ceu ad primum vitæ humanæ limitem exponit. Etiamsi contingat, solem non subtrahi oculis, rationi tamen nox alta incubat. Vivimus omnium inscij, soliúsque ploratûs fide, sentire nos, & percipere injuriam corpusculi probamus. Strepit deinde festiva balbutie pueritia, & plus sentientem, sed non intelligentem ex-

pri-

primit. Modicum admodum vitæ, his primis spatijs includitur, & ferè primi pampini sunt plantæ rationalis. Ab his veluti gemmis, erumpit in florem pingenda adolescentia, & intertextos sensim, magísque se explicantes radios, in specimen rationis producit: sed id modicum est, & nondum à privatione mundi, & confinijs umbrarum absolutum: juventa dein, plus se in diem, & intelligendi aptitudinem sentit provectam: nisì cupiditatum nubes intercederent, quæ sæpe visum eripiunt. Matura deinde, & compos roboris ætas, in declivitatem senio proximam descendit: atque hîc, si per nostra, quæ adoptamus, liceret vitia, latiorem aliquantum ratio, & intellectualis visus, excurrendi campum habet: sed & hoc modicum quid est, ac vix observabile; si effœtæ senectuti, & in infantiam sæpe revolutæ jungitur. Hæc incrementa, & decrementa rationalis vitæ, imitatur in multis, Christianè vivendi, scientia infelicissima, si per notitiæ, & errorum vicissitudines, in illud extremum malorum delabatur; ut post vitæ mortalis modicum, audiat à Christo: *non videbitis me*. Infantia omni-

no, & pueritia, multos ea necessitate adstrinxit, ut nec modicum viderint benignitatem DEI in se, nec suæ erga DEUM venerationis, & amoris debita. Plerisque quæ adolescentia vidit, juventus à consideratione, & oculis abstulit. Rectè designata, laudabiliùs facta per ætatem virilem, à pluribus expunxit infatuata senectus rejuvenescens in nequitiam. At nostrâ interesset omnino, ut, cùm primos annos nostros occupârint ignorantiæ, alios non involuntarij errores, tantúmque vitæ elapsum, quô nec per adminicula naturæ ad DEUM cognoscendum contendimus, nec merita congessimus, quæ præmium polliceri possent; id saltem, quod extremum temporis restat, in ea, par est absumi cura, ut per modicum hoc ævi, quod non videndo nobis absumptum est, tandem videndi plenè facultas contingat, aut potiùs à benignissimo Remuneratore DEO, sed remunerandi requirente merita, concedatur. Si visionis istius durationem ad DEI vitam, quâ nostra definietur beatitudo, metiamur; instans unum est: proinde in apprehensione humana heu quid modicum! Hoc tamen instans, omnes cogita-

biles

biles ætatum ſeries implet, & ſuperat infinitè. Petamus à DEO gratiam, quæ nobis ità inhabitet, ut nunquam, & nos à DEO videndo, & DEUM à nobis ſecerni contingat.

Pro eadem Dominica.

Cognovit JESUS, *quia volebant Eum interrogare: & dixit eis: de hoc quæritis inter vos, quia dixi vobis: modicum, & non videbitis me.* Joan. 16. v. 19.

MOdicum illud, quod dubium movit Apoſtolis, non in modicas fabulas, ſuſpiciones, indagationes excreviſſet; nisì feſtinata deciſione intercepiſſet Chriſtus diſſerere incipientes, de ſua propoſitione. Serpſiſſet primò in ipſo Apoſtolico cætu opinionum diverſitas; mox etiam externorum commiſſa auribus, in lites, altercationes, atque etiam errores, fuiſſet propagata Chriſti doctrina; nisì dicta ſua, audaciâ, vel inſcitiâ commentandi trahenda, perſpicaciſſimô conſiliô, ad diſceptantium ſuſurratio-

nibus vindicâsset Salvator. Idem fecisse videtur Christus, quod David: qui non tulit mussitantes, sed adegit dicere, quod latebat. Nec Patribus familiæ contemnenda, & surda aure accipienda murmura, in ampliore præsertim, ùt facultatum, ità famulantium copiâ affluente domo: nè murmur in rumorem crescat, & fabula populi fiat. Verecundè satìs, ídque clam, arriserat dicto cuidam Sara; mox tamen ab Abrahamo DEUS exquirit: *Quare risit Sara, uxor tua. Gen. 18. v. 13.* Quid tam festivum auribus tuæ conjugis accidit, ut risum non tenuerit? Otiosè prorsus accepit Libetrana civitas armentarium somnô sopitum, ponè monumentnm Orphei; inter soporem tamen, pastoritios calamos tam scienter inflantem, ùt vigilans nihil meliùs fecisset. Riserunt, sed multa clade sua oblectamentum aurium extersetunt cives illi, qui sopore pressum simul, & fistulâ personantem, mulcendis animis, non prædictis oraculô malis, accommodârunt. Non permittamus ad Libetranas fistulas concursus fieri, nè pereuntium turbam, exitiô nostrô augeamus: verùm, quid sonet etiam somniantis fistula,

dili-

diligentissima ratiocinatione percontemur. Minimè Christum latuit Apostolorum colloquia, & mussitationes nihil damnandum habuisse: inquisitione tamen sollicita protinus occurrit, & nè percunctatio inter moras timentium hæreret, quidquid dicebant, vel dicere parabant, explicuit: & quidquid eorum animis hærere viderat, prodidit. Jam dignoscent facilè, an suum agendi morem sint Christo probaturi, quibus oculti pectoris promere sensum, videtur pœna: qui in subitis etiam occursibus, quæstioni intima petenti, sciunt responsione occurrere: instantem eludere; percunctationi perplexos sensus reddere: & perplexa, tum de se, tum de alijs, ità sermone efferre, ut dubitare tantùm doceant: & dum gryphos texunt, nec in suum admittunt alios animum, nec ab alijs admittuntur.

Cognovit JESUS, quia volebant Eum interrogare: & dixit eis: de hoc quæritis inter vos, quia dixi vobis: modicum, & non videbitis me.

AN ex morbo animi multis familiaris fuerit illa voluntas in Apostolis, ad interroga-

rogationes Christo proponendas ; oriri posset suspicio : sed non è vanitate sensûs, & levitate mentis processisse, desiderium illud convincit diligentia Christi, quâ perplexos voluit expedire. Necessarium proinde fuit, quod Discipuli volebant interrogare. Illorum certè, non subintellectis tantùm, sed etiam repetitis quæstionibus, indignum esset respondere Christo, si aut jactandi sui grati, non obvias significationes in verbis domini rimari, aut inquieta volubilitate mentis, implicare se alijs, atque alijs quæstionibus voluissent, indagaréque omnia: & scire nihil : more nauseantis stomachi, qui omnia gustare appetit, concoquere nihil potest. Pharisæorum, non Apostolorum, credo, hac in re cupiditas fuit. Illorum ratiocinandi consuetudo per altissima incedebat principia, in his ipsis disceptabant, an multiplicitas intellectionis subesset, an deduci, ex lege plerumque possent, quæ eorum vel congruebant stomacho, vel repugnabant. Ambigebant mox, & disputatione rogabant : quod mandatum magnum in lege ? An conjugiorum nexus, in alteram perferetur vitam ? An adulteria,

decre-

decretæ per DEUM pœnæ eximi fas sit? An legis naturæ mandata de alendis parentibus non eludatur, donationibus ad templum conversis? An dieï festi otium, sanitate ægris impensa non violetur? Ità dum investigabant omnia, nihil deligebant, quod opere exprimerent. Sed nec laudabilior illorum ad interrogandum segnitia: omnia ignorare malunt, ut per omnia effrenatis cupiditatibus excurrant; nihil quærunt, quia nihil sibi vetitum volunt: & dum paci animi consulunt, bellum supremo legislatori denuntiant: cujus edicta neque nôsse, revereri si innotescant, animum obstinaverunt. Illudere Apostolicæ instructioni, plerique horum non metuunt, qui monent: in aliquibus non interrogandum propter conscientiam. Et reverâ non interrogant, nè ad interrogata respondeat conscientia; quam ad vellicantes monitus obduratam, & projecta desperatione securam, in præceps sequi malunt, quàm interpellari illo salutari, explorantium de vita æterna quæsito: licétne exstinctis luminibus occurrere monstris, & præda eorum fieri? Quæ vidisse, & timuisse, salutis summa erit. Volebant

in-

interrogare Discipuli, sed hæc voluntas intra murmur soluta, & vultus perplexitatem ostendentes fuit. Deses illa, & timoribus incerta voluntas, expugnari debuit facilitate Christi; responsiones ad cogitationum arcana ingerentis. Heu! misera voluntas nostra, quæ in noxia præceps fertur, ubi verò securissima ad vitam monstratur semita, restitat: & cùm evolandum esset, cunctatur. Videndum, nè hîc perversa Acatholicorum dissertatione decipiamur: agnovit JESUS, inquiunt illi, Apostolorum velle, & non expresso per verba quæsito satisfecit. Quid igitur opus est, auribus Præsbyterorum interiora animi insusurrare, quæ solius est Christi dignoscere, & ad cognita responsum dare. Sed ostendet aliquando exploraturus ille oculus, quid evincere volebat mentita sibi iniquitas; quæ ultimam post naufragium tabulam, prensantium manibus in sacra Exomologesi, exceptam cupit: responsa mortis ad suas perplexitates dum quærunt, & invenire satagunt; id potiùs ostendunt, ut videantur boni; quàm ut esse velint. Torpentem ad salutaria voluntatem, efficacissimè quidem

sua benignitate Christus discutit; & in sui cordis cubili, & specu, feriantes noxas cognoscit; sed educi vult manu nostra inde, non suô prodigiô, quod exspectare, infidelium opus est.

Cognovit JESUS, quia volebant Eum interrogare: & dixit eis: de hoc quæritis, quia dixi vobis: modicum, & non videbitis me.

PLeraque non obvia captui vulgi, proposita fuerunt pluries à Christo Discipulis: vel intellecta tamen confestim sunt, vel eorum palam postulata expositio dubitandi ulteriorem locum non reliquit. Hîc ubi edicit Christus modicum restare temporis, quô illis sui copiam esset permissurus; ità omnia obscura visa sunt illis, ut quid interrogarent, quibus verbis interrogationem includerent, an omnino tacerent, an eloquerentur, hærebant; & nutu, ac confuso vultu potiùs, quàm sermone inter se conferebant. Ex diuturno scilicet CHRISTI aspectu, & familiari consuetudine illius, cui videbant naturam rerum obedientem, omnipotentiam famulantem, cujus digni-

ta-

tatem, quam reverebantur, & gentibus prædicabat fama, ab hujus diutino, quem ſibi appromiſerunt, convictu, arduum illis erat avelli. O! quas non ſpes conceperant! Appromiſſas meminerant ſedes duodecim, & tribunalitium jus ſuper duodecim tribus Iſraël: ſe lucem mundi, ſe palmites vitis, quæ extenſura ſuas propagines in ultimos fines terræ, inumbratura montes, impletura torcularia, & lacus, nihílque nisì magnũ hæc de Apoſtolis prædicta, in illorum exſpectatione deſcripſerant! Ubi autem ad modicum redacta omnia audirent, capere non poterant mæſta cogitatione, quò omnia tam ſpecioſa abiêrint! Præſentia Chriſti ad modicum temporis indulta, amantibus momentum propè videbatur! Ergo in hoc momento, penetrârunt ſe, & evanuerunt judiciariæ poteſtates! Oceani lucis extincti! Momentaneâ in Chriſti modico relictâ ſcintillâ! An ea cogitatio mentem Diſcipulorum confuderat, vix credi poteſt de illis, quos Divinæ inſtitutio ſapientiæ erudivit. Nihil tamen frequentiùs mortales inter contingit, quàm ut etiam linceis, & acutiſſimè ſua commoda doctis oculis ſpectare

ctare prope nox obrepat; dum ea, quæ sua spes, immensa prope figuraverat: modicis vident lineis circumscribi. Maxima nobis promisit DEUS: sed nos ad palatum terrenis imbutum, dum examinamus promissa, modica credimus, ideoque fastidimus.

Cognovit JESUS, quia volebant Eum interrogare: & dixit eis: de hoc quæritis inter vos, quia dixi: modicum, & non videbitis me.

TEmpus, quod nos à fruitione bonorum sæculi futuri sejungit, modicum est: sed cùm gustare, & experiri dabitur, non modicum, sed æternum, & immensum probabimus. Explicari nobis frequentiùs modicum illud petamus, quod, quia incurioso transmittimus oculo, incerta nobis omnia facimus; & temporum per momenta fluentium, & gratiarum, ac meritorum opportunitates, modica judicamus: filum tamen sunt, quod vitæ labyrintheos flexus evolvat. Corrigat oculorum ludibrium ratio, & astra, quæ visus puncta lucis ostendit, immensos luminis globos, convicti fateamur. Cur Evangelium, certitudóque illius, non

persuadet ineptire sensus, dum intellectum adigere laborant ad assensum, quòd sola bona sint, quæ sentiuntur. Amamúsne scire, omne id modicum esse, quidquid à natura, quidquid à vita, quantumcunque producta, exspectamus? Hoc, quidquid inter manus, & usum nostrum perit, certè non magnum est. Monemur uti, non frui his, quæ tempus finit. Si rectè his ipsis, & ad leges utamur, non modicum lucramur. Hoc lucrum si contemnimus, penetrans admodum, & in Christiano sensu multum feriens dictum illud Poëtæ insultat, an prædicit nobis: *Serviet æternùm, qui parvo nescit uti.* Petamus à DEO, ut, si quæ dubia circa Evangelij, & legis Divinæ occurrerint impletionem, illa nobis Divinum lumen exsolvat.

Pro eadem Dominica.

Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, Joan. 16. c. v. 20.

QUid illud est, quod Apostolos ad ploratum, mundum verò ad effusam lætitiam movet? Obvia multa sunt, quæ lætitijs mundum complent: videmus mundum

suis

suis gestire pompis,honoribus, divitijs dum affluunt: quanto se circumspicit fastu, quantô exsilit gaudiô mundus! Spectamus quotidie. Apostolos autem pronum esset merere suâ inopiâ. Illustres natales, & cognatorum potentiam mundus crepat, & à fama buccinari vult. *Vos nobiles*, 1. *ad Cor.* 4. *v.* 10. Apostoli dejecto vultu, obscurum fatentur: *Vos ignobiles*. Mundo ostentationi est consiliorum, & sapientiæ fama: *Vos prudentes*. Rationem suam & ingenium minimè politum non celant Apostoli: *Nos stulti proper Christum*. Attollit mundus suum robur: *Vos fortes*. Suæ debilitatis conscij inter lacrymas enuntiant Apostoli: *Nos infirmi*. Mundus,& mundi sequaces, sua eruditione præsidentes, quidquid in sermonem venerit, promptè expendunt, suis librant ingenijs difficillimas quæstiones, & inter rationum certamina, pro, & contra disserunt: *Tradidit mundum disputationi eorum. Eccl.* 3.*c. v.* 11. Apostolus ingenuè confitetur: *Nihil arbitratus sum me scire, nisi JESUM, & Hunc Crucifixum*. 1. *ad Cor.* 2. *v.* 2. Propheta verò in primis literarum elementis hæsitans, clamat: *A, a,*

a, Domine neſcio loqui. Jerem. 1. v. 6. Mundus, & filij ſui byſsô, & hyacinthô indui, parum habent; in gemma bibunt, & gemmas calcant: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Matth. 11. v. 8.* Gauſapinæ in Apoſtolis lacernæ, ægrè nuditatem, & frigus arcent: *Circuiêrunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, - - in frigore, & nuditate. Ad Hebr. 11. v. 37.* Apud Apoſtolos veſtimentorum forma non ad aulæ nitorem exacta, non ad urbanitatis leges cinctus, non eos exterior habitus, à tenuiſſima plebe diſcernit. Quid recenſeam actionum, & occupationum diverſiſſima ſtudia in utriſque: ſeculo militantes palatia incolunt, ad novam magnificentiæ idæam: audent fiduciâ opum, eáque natura non obvia fecit ſuperare; attollunt marmore villos; ſuſpendunt ſubſtructionum molibus labyrinthos conclavium; longa ſerie prædia, horrea, granaria, immenſo metunt ambitu; *Deſtruam horrea mea. Luc. 12. v. 18.* Apoſtolis deeſt tectum, quô ſe ab injurijs auræ tueantur; à terra repulſi, intra terram receptum coguntur quærere: *In ſpeluncis, in cavernis terræ. Ad Heb. 11. v. 38.*
Mun-

Mundus, & qui sunt illi authorati, infarciuntur epulis, pretiosô vinô, & ungventis diffluunt, commessationibus strepunt: *Commedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Isaiæ 22. v. 13.* Apostoli enecti siti, extenuati fame, suas non dissimulant ærumnas: *Et esurimus, & sitimus. 1. ad Cor. 4. v. 11.* Exultanti igitur, & plaudenti mundo, gaudium instruit, & cumulat vestium splendor, epularum lautitia, ædificiorum ornatus, horreorum omni copia refertornm plenitudo. Apostolis lacrymas exprimere videntur melotes, & barbara de ferinis pellibus semicinctia, incumbens toto pondere egestas, amicorum, & solatiorum solitudo, indigentia, & fames. Jure igitur Apostolis prædictum: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Hæc ad vulgi captum, & sensum, forsan aliquis dixerit: sed propiùs accedet vero, qui asseret: gaudere mundum ideo, quòd plorantes Apostolos videat; flere Apostolos, dum spectant mundum in suo interitu lætari: in ipso ruinarum præcipitio plaudere: suo in funere exsilire gaudijs: lætitiam mundi, an ploratum Apostolorum malimus, in nostra manu est:

 cer-

certè nullum dubium, quod ſerenitatem mentis in Apoſtolis, non opacent ſuffuſi lacrymis oculi; nec triumphantis animi exultatio exterminat ab animo tempeſtatem: nec cordi hilaritatem affundit riſus, quô lacrymantes Apoſtoli illuduntur.

Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.

IN Evangelio præſenti ad idem theatrum producta eſt comœdia ſimul, & tragœdia: ità ſimul gaudentem mundum, & plorantes Apoſtolos, Dominus repræſentat. Summa totius ſpectaculi ad hoc redacta: ut, quò contentiùs ſe mundus ad gaudia excitat, eò fuſiùs plorent Apoſtoli: & quò magìs luctui indulgere advertit mundus Apoſtolos, eò intemperantiùs in cachinnos, & tripudia ſolvitur: ſic accenſum triſtitiæ, lætitiæque certamen, alternis planctibus, & riſibus ambitioſè protrahitur. Nec extremæ, credo, artis eſt, ſi lacrymis riſus, hilaritate fletus moveatur. Nec facili experimento cognitum gaudium, quod ſpectantes flere docet: nec conſuetus ploratus, qui riſum excutit. Non quidem inauditum

eſt,

eſt, lacrymas mereri riſum, qualem fæminarum ajuńt: *Ut flerent, oculos erudiêre ſuos.* Ità de quodam obæratiſſimo traditur: qui diluere vel eluere lacrymis debita cúm ſperaret, creditori ſuo ubicunque obvius ubertim pendebat lacrymas, credens ſe gemmas appendere. Sed æra poſcentem, non emollivêre lacrymæ. Devotioni, inquiebat creditor, oportet lacrymari: argenteis autem, utpote ſolidiore materia, ſatisfaciendum: lacrymæ etenim non denſantur in metalla, non in uniones, & adamantes durantur. Non minùs promptè, ſed paríne merito dubium eſt: aliquis in alterius ploratu, & forſan juſto, ludendi materiam invenit, cùm in funere novercæ flentem irriſit. Frequentiùs tamen contingit, ut gaudia luctum, quàm ut luctus riſum excitet. Reſonant lætantium vocibus triclinia principum, ſed epulas lachrymæ inſtruxerunt: evacuata pauperum ſubditorum armenta, cortilia, frumentariæ, & penuariæ cellæ: ut principum culina majore colluceret foco: ut ſtrue patinaria premerentur menſæ: ut aromata trans mare petita, ſaporum, & odorum miſturam fumarent. Omnia hæc du-

rô imperiô, ex facultatibus miſerorum eliquantur. Difficile eſt, etiam terrore attonitos, & vel in ſilicem ſi diriguiſſent, oculos fletu non manare. Inter commenta ſævitiæ Tyreneorum memoratur: ut feſtivos tum maximè modos concini, tam voce, quàm fidibus juberent, cùm inclementiùs flagris ſervitia lacerarent. Nec diſſimile quid contigit Octaviano: qui, cùm tenuem Romæ plebem fames premeret, in Apollinis ſpeciem conformatus, cum ſimilium Deorum pariter indutorum cœtu, feſtiva agitabat convivia. Progreſſus ulterius, qui deinde ſucceſſit Nero: incendium urbis inter cytharæ, & canticorũ ſonum delicioſiſſimè ſpectans. Profectò ejuſmodi tripudia cauſam abunde lacrymarum ſuggerunt. Non illudent nobis vana, & ſenſum pervertentia gaudia, ſi in confinia mæroris, & calamitatis, quæ ſequuntur, excurramus cogitatione; putemúſque ridere nefas ea, quæ Apoſtolos, & timore DEI eruditos confundunt fletu. Mundi leges ſectantium lætitia, neſcio an excuſari ab inſania poteſt, an in totius naturæ excuſſo ſinu, reperire ſit aliquid, quod

quod vera, & manſura hilaritate animum perfundat.

Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.

PLura occurrunt advertenda in Apoſtolico fletu. 1. Multos eſſe, qui dici ſe cupiunt Apoſtolos, aggregari tamen lugentibus nolunt, cùm tamen hoc diſtinctivum ſatìs notum publicavit Chriſtus: ut è riſu, & inurbanitate ſoluti, in ſeculi turba computentur, fletu verò perfuſi accenſeantur Apoſtolis. 2. Utrum propriiſſima nota ea ſit Apoſtolici viri? Ut triſti ſupercilio, & dejecto per naturæ inamænæ torporem vultu horridus, & omnibus fugiendus potiùs, quàm miſerandus appareat? Non atra equidem bilis, ſeveram præſtat frontem Apoſtolis, ſed Legis Divinæ contemptus; pleriſque tamen adſtricti auſteritate mores, ità deſipiunt, ut mallent in Apoſtolicos cœtus, cachinnos ſeculi, & tripudia induci. 3. Mundum, & Apoſtolos ſimul producit Chriſtus; ſed ſibi contraponi affectus illorum oſtendens, hôc ipsô probat, quòd & natura illis oppoſita ſit: & ſicut cum mœrore gaudium re-

reconciliari non poteſt, ità neque mundus cum Apoſtolatu. Etiam gaudentium ſeculi amatorum agminibus circumfuſi plorantes Apoſtoli. Nec verò difficilè eſt inter ſolitudines, & ſylvarum horrorem triſtem eſſe: ſed inter ludentium, & concinentium choros, non ſqualorem à vultu, non ab animo perſeverantiam plangendi deponere, quam pœnitentiæ fervor imperavit; id demum Apoſtolum ſapit. Subitò elicita à levi, & in utrumque parato pietatis tyrone lacryma, areſcit faciliùs, & diffluit, ab irridentium maximè cachinnis. Sed divinior ſpiritus, non temporaneo afflatu, gelu ſolvit pectoris: deducit torrentes lacrymarum, qui Jeruſalem Divinam lætificant. Aliquibus nè templum quidem cachinnis vacuum: & cùm inter rem ſacram Crux, & mors cruenta Chriſti, memoriæ, & oculis ingeritur, illis ſonori erumpuut riſus. Quid ampliùs iſti inter choreumata, vel Lesbios, vel Phrygios modos ſibi indulturi? Non incongruum, imò proficuum eſt, ut ab Apoſtolis, ſua ploratu gaudia mundi damnantibus, diſcamus flere: & ſi inſanienti mundo ciere non poterimus lacrymas; ſaltèm

ci

ei mœrorem ſalutarem inſpiremus, ut cum Apoſtolo dicamus: *Gaudeo, quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. 2.Cor.c.7.v.9.* Petamus à Deo, ut à vanis ſeculi tripudijs abducti, in plorantium Apoſtolorum agmine inveniamur.

Pro eadem Dominica.

Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Joan. 16. v. 20.

MUndus nihil aliud eſſe videtur, quàm mutationū imò converſionum ſibi ſuccedentium mare: Hoc novitatis deſinentis, & renaſcentis fluctu, in auribus noſtris continuò ſonat, hoc mirantib9 oculis allabitur. Neque in naturas tantùm elementorum miſtioni obnoxias, mutationes iſtæ pertingunt, in animis quoque ſpectantur. Multos videmus in tenui fortuna omnibus faciles, & comitate blandos: mox in pingviorem provectos turgere faſtu, & neque ſe, neque alios cognoſcere: videmus floridiſſimam juventæ formam, in cadaveroſos ſubitò abire vultus. Plures ad Apuleji exemplum, etiam extra Theſſaliam, pertœſi humanam figuram, in aſinos aureos vertuntur:

tur: at non eâdem, quâ Apulejus, fortunâ, cui in hominem redire, post innumeros conatus, datum est tandem. Aureis hujus mundi asinis volupe est, magìs indies brutescere: sed hujusmodi conversiones, lætitiam mœrore mutari non è contra ostendunt. Et non dubium quidem, in meliùs etiam strenuam esse mutationem, cum tristitia, per lætitiam succedentem, ùt Christus promisit, submovetur: multò tamen frequentiùs advertimus, uberiùs, & faciliùs ex lætis sucerescere tristissima, quàm ut luctus gaudium pariat. Unam novimus Aaronis virgam, quæ, cùm arida esset, floruit: sed innumeræ florentes aruerunt. Manna eliquante cœlo inspersum per castrorum Jsraëlis circuitum, si ultra mensuram designatam legeretur, in vermes vertebatur: vermes in manna redacti nunquam. Natura nempe, pronos ad desitionem gradus ijs, quæ corrumpuntur, posuit: sed à corruptione ad priorem eniti statum concessum ferè nulli: nec Philosophia invenit hucusque callem, quo à privatione ad habitum, ùt ajunt, pateat reditus. Amygdalas dulces amarescere, ut rem insolitam no-
tat

tat Plinius. Sed quotidiana exempla docent: nihil ità suave in vita humana esse, quòd non facillimè inamarescat. Nec flores marcescere miramur, quia hac lege nascuntur. Nec blandissimè vibrantes oculos glaucomate inumbrari, nec emicantis vigorem sangvinis præmori: cùm virtutem quoque senescere, vel momentô concidere videamus. Sapientissimis legibus temperatæ Respublicæ, quæ non unam ætatem laturæ putabantur: non ægritudinem tantùm, & crises, sed & funera experiuntur, in chaos primò, mox in nihilum resolutæ. Adeoque conversio gaudij in tristitiam, plùs quàm manifesta est. Quid igitur fugata sectamur gaudia? Veram ab apparente lætitiam discernamus, nè deceptarum avium stultitiam imitemur, quæ ad pictarum à Zenone uvarum rapinam convolabant. Non incumbamus amore toto illis, quæ momentis suspensa, secum ruituros trahent. A virtute, & animo, soliditatem quæramus lætitiæ, credamúsque Philosopho asserenti: Quodcunque invectitium gaudium est, fundamentô caret.

Tri-

Tristitia vestra convertetur in gaudium.

CErtitudo verborum Christi, quibus asserit tristitiam in gaudia convertendam, non debilitatur per hoc, quòd frequentiùs experiamur læta in tristia commutari. Etiã tristitia vicissitudinem habet,& gaudiô permutatur, sed non omnis. Tristitia belluina, quæ vaccas ducentes Arcam cum gemitu exprimit; tristitia Rachelis, in omnes solantium persuasiones contumax; tristitia vaga filiæ Jephte, & similes complorationes, ut ad lætitiam maturescant, vix sperare possunt. Planctus, qui exuto homine, impetus induit brutos, hac mutatione indignus est. Quid enim de mœrore illo censendum, quô vaccæ Philistinorum campos, & nemora implebant, nec compescebant mugitum; cùm tamen non olido lætamine onusta plaustra, aut strues lignorum, sed tanti pretij pondus in Arca veherent: immemores prorsus,quòd antea tacitæ,& non reluctantes, ad spurca etiam onera ferenda, jugo colla submittebant. Indigni sunt hac mutatione, ut convertantur in gaudia, pecorini boatus, qui visô vitulô exultant, &

plo-

plorant in obsequio Arcæ. Rachelis lu-ctus non rationis momenta, sed orbitatis gravitatem respiciens, parum aptus esse videtur conversioni dolorum in gaudia, est enim quædam injuria naturæ prolixior fletus! Illa enim amantissima hominum parens effecit, ut nemo possit valde dolere, & diu. Jephte filiæ inerrantis montibus, & campis, ambitioséque choros lugentium post se trahentis, nænias, & cantilenas in dubio relinquo: si hæc, Isaaci promptitudine ad victimam non se obtulit: sed sperati conjugij imaginem, Hymenæô amissô flevit: verior, ut gemitibus lamentantis istius, hilarior aliquando vultus, & dies lætitiæ, à Christo promissæ respondeat. Inconsolabilem, ex morte uxoris Darij Regis Persarum planctum, promiserat se Democritus in gaudium conversurum, revocatâ ad vitam Reginâ: pluráque poposcit, quâ ad emolliendam Ditis januam, & reducendam novam Evridicen opportuna dicebat: útque ad suum arbitrium in promptu fuerunt omnia: consentire Deos, inquit Philosophus, ut restituatur vitæ Regina, sed ea conditione, ut quàm primùm quæri, & adduci jubeat

beat Rex tres homines, qui, nè levissimè quidem totâ vitâ suâ contristati sunt, aut, ut Scripturæ idiomate loquamur: qui *in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ps. 72. v. 5.* Intellexit facilè Darius: nec fortunam ullam inaccessam luctui, nec Orphei cytharam ità feliciter tangi, ut, etiamsi manes excantaverit, excantet mœrores, nisì imperio rationis submittantur. Sed quid alienas vexamus in mœrendo intemperies? Circumspiciamus nos, num & nobis indomitus dolor rationem sæpius non concutiat, & evertat? Quoties mugitus noster audientes percellit, & sui impotens, quò lugendi æstus impulerit, rapitur! Solantium denique perosus voces, expleri tristitiâ nequit. Non difficiliùs quandoque orbitatis, vel amissi Regni dolor, ad æquanimitatem redit, quàm in frivolis etiam deflendis impetus, non pavor cohibeatur. Ubi adsunt, quæ dolorem vincant, flere non licet, aut saltem non diu.

Tristitia vestra convertetur in gaudium.

SIcut non ex quolibet promiscuè cibo, aut potu, sed ex pane, & vino tantùm, tran-

transsubstantiatio Corporis, & Sangvinis Christi perficitur: ità non nisì certum genus tristitiæ, conversioni gaudiosæ à Christo prædictæ servit. Adsit ciborum, aut aromatum ex alio orbe petitorum varietas, & præstantia; inferantur altari, expressi perfectissimarum substantiarum succi: liquatæ artificiô ignis gemmæ, materiam transsubstantiationi huic non præbebunt. Tristitiam quoque conversam in gaudium, non aliam aptam credamus, nisì quæ Apostolica fuerit: Apostolis enim promissio facta, Apostolicam non nisì tristitiam respicit. Quid enim hìc faciant parentantium lacrymæ Heliadum Adonidi: Accensi desideriô luctus, aut devorati à Porcia cum ignitis carbonibus dolores, vel frementis avaritiæ gemitus de subducta præda, tanquam sævientis post raptos catulos ursæ? Flebant Apostoli, sed mittentes semina sua, quæ in uberem gaudiorum messem, constanti labore, & gloriæ Divinæ desideriô nutrita, succrescent. Apostolici fletus, Angelicos exprimunt: quos sacra pagina Angelos pacis vocat, & amaris perfusos ploratib9 testatur: *Angeli pacis amarè flebunt. Isa. 33. v. 7.* Magna licèt

licèt copia amaritudinis affuſa Apoſtolis, pacem animi nec diluit, nec obruit: tantò minùs una ærumnarum ſtilla, tolerantiam ipſorum, vel in proximos charitatẽ demerſit. Non obvij materiam ſtipitis ſinè delectu ad exſculpendum Mercurium ſtatuarius arripit, ſed tota interdum ſylva luſtratur, donec aptum quid occurrat. Nec nobis ſat eſſe debet, ut vulgò conſuetas, & non rarò irriſas lacrymas, illi admoveamus gradui, in quo ſub lætitiæ vultu ſpectentur: cùm nè inchoatam quidem virtutem habeant, ut ad eam converſionem eleventur. Puriſſimæ Matris, & Divi Joſephi mœſta ſuſpiria, luculentis in reperto Salvatore, terminata lætitijs ſcimus: quia anxietas, quæ præceſſit, non naturali tumultuabatur impetu, ſed amoris ſancti impatientiâ cor maternum præmebat. Depone mœrorem, ſi potes: include, ſi non potes: aut abſolvendus omnis, aut premendus dolor. Cur enim mœſtitiam tuam, non ratio potiùs, quàm dies leniat? Petamus à DEO, ut gratiâ ſuâ importunas, & nos nullo fructu conſumentes mœſtitias, in gaudium convertat ſalutare.

Domi-

Dominica IV. poſt Paſcha.

Nemo ex vobis interrogat me: quò vadis?
Joann. 16. v. 5.

ERuo aliquot conſonas iſti themati conſiderationes. 1. Portio quædam Chriſti erant Apoſtoli, utpote filij, & Diſcipuli; divelli tamen ab optimo Parente, & Magiſtro ſapientiſſimo, quaſi nihil ad ſe pertineret; nemo ſive ſuo, ſive communitatis nomine, in abitum Salvatoris inquirere voluit. Parentum ea ſollicitudo eſt, ut horas, & momenta de filiorum abſceſſione interrogent, non minùs inquieti dum abeunt, quàm cùm oculis parentum diſparuerint. 2. Invehi acriùs in Diſcipulorum quaſi affectatam de itinere ſuo diſſimulationem, non immeritò Chriſtus poterat; commiſſum tamen interrogare potiùs, quàm increpare maluit errorem, quia nondum ulcus premi maturum vidit, ideoque in corrigendis ſuorum erratis circumſpectus, excoctionem puris exſpectavit. Hac arte imbecillitatis humanæ curantur, vel maximè ægritudines illæ, quæ ſe nè mulcedine quidem

dem patiuntur contrectari. 3. *Nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* Inquit Christus: acsi diceret: tempus adhuc est, ut interrogetis, compensate utilitate, quod damnô vestrô neglexistis. Qui discentibus non plùs doctrinæ, quàm sollicitæ pro DEO pietatis tradit; nunquam illi deerit industria, emolumenta suorum, etiam perdita recuperandi. 4. Cùm in extricabile, ùt putabant, modicum forti apprehensione premerent, trutinaréntque Apostoli, soláque sciendi cupidine, quidnam illud esset modicum, seriam parabant quæstionem: mirum est, quòd eâdem indagationis semitâ, ad iter, cui se accingebat Christus, non deflexerunt; modica nos occupant, & magnis implectunt curis: grandia feriantur nobiscum relicta cunctationi: exspectamus, nî fallor, ut cum Philippo inveniamur in Azoto dimisso curru Eunuchi. Extendamus licèt per immensum fortunarum tempe anhelitus nostros: feramur rhedis, sive pedes per gymnicos honorum, victoriarúmque honores indefessi: frustra sunt omnia, nisì sciamus, quò sit eundum, & currendum in odorem ungventorum Christi, quæ comitibus pigris non

non bene olent. 5. Viarum Christi notitia, non ab alijs, nisì ab Apostolis peti debet: aliàs ibimus, non quâ eundum sit, sed quâ itur, præeuntibus illis, qui sequacibus suis falsò inclamant: *Ecce hìc est Christus. Matth. 24. v. 24.* Plerique ad Pythonissam cum Saule, aut ad Deum Accaron, alij ad Astarten, alij ad Idolum Michas currunt interrogantes de via post Christum: utinam verò qui interrogant, interrogent in Abela, ubi est Mater Israël: utinam subnascentia de vijs Domini dubia, ad Matris Ecclesiæ arbitrium, & judicium deferant, & non ad Lutheri, aut Calvini pithonissas: alij lasciviam suam, alij ambitionem, & inexplebilem habendi famem interrogant: Quò Christus vadit? Alij decisioni sensuum quæstionem hanc permittunt: alij fallaci ratiocinio, illa, quæ fides, quæ accepta à Christo, & Apostolis doctrina determinare debet, resolvunt: unde quidquid hactenus eorum fuit, inde promanavit: inde exitiales Ecclesiæ, & mundo luctuosæ emerserunt labes, quòd non interrogaretur Christus, quò vadit? Sed sua apud se oracula quæsiêrunt illi, qui non longè accersitis periêrunt inventis. Pruden-

dentissimè itaque redarguit Apostolos Christus; quòd non ex ipso immediatè, tanqnam eo pellucido fonte, illimem de suo abitu haurirent veritatem: nolens eam ex nullo alio, etiam istarum, quæ super cœlo sunt, aquarum, deciduo fluere imbre; nisì à Crystallino scaturientis aquâ vivâ oris sui torrente. 6. *Nemo ex vobis interrogat me: quò vadis?* Non eò migrare intendebat Christus è gymnasio suo, ut nullum ex Discipulis suis conscium loci, ad quem se conferebat, vellet. Gymnasiarcharum hujus mundi excursus sunt isti: in quorum lyceis, vulgare illud de non vulgandis contingentibus gymnasij, ad obvias fores extrahitur: extra limen scholæ nihil efferatur; cautela hæc persæpe non tam discipulorum plagas respicit, quàm diurnas, nocturnásque vagationes ludimagistri. Sed nulla necessitudinis jura, & officiorum legibus annexæ postulationes, ex literaria statione extrahant eò præceptorem, ut non audeat spiritu, & libertate Christi, palàm studiosæ dicere juventuti: *Nemo ex vobis interrogat me: quò vadis?* Non me loci, & commorationis in illo loco pudet.

Pro eadem Dominica.

Expedit vobis, ut Ego vadam. Joan. 16. v. 7.

HOc etiam thema in suas dispertio considerationes. 1. Cùm nihil jam Christo, tam in Collegio Apostolorum, quàm in mundo ad agendum restaret; insuper & à Patre cùm vocatus esset, noluit tamen inscijs Apostolis exesse. O! quot sua regna, Dioeceses, collegia, & claustra, tum vel maximè deserunt, & suo relinquunt statui, sola, ut orbem pererrent, vanitate exciti, qui nihil horum fecerunt, quæ pro officij sui munere, & onerosa conscientiæ obligatione facere tenebantur. 2. Sive nobiscum Christus diversetur, sive à nobis recedat, dummodo id sponte suâ, non fastidiô nostri faciat, utrumque cedit utilitati nostræ. 3. Quorundam in retinendo Christo importunitas, similis est illi, quâ suum olim separari à se Eliam detrectavit Eliseus: cúmque illum eâ violentiâ, cui resistere haud poterat, vidisset rapi, questus est in hæc verba: currum Israël, & aurigam auferri. Su-

perat querimoniam iſtam indignatio eorũ, qui abeunte Chriſto, non tam de abſceſſu illius, quàm de auriga, & carpento, quod ſecum affert, conqueruntur. Chriſtum tamen, non tantùm quoquò libuerit, abire, ſed regnorum etiam currus ſecum auferre, aut aurigas mutare, alióſque pro alijs ſubſtituere nemo prohibere poteſt. 4. Infallibilem morum, actionúmque humanarum regulam ſuggerit CHRISTUS in his verbis: *Expedit vobis, ut ego vadam.* Imus per obvia, deviáque, non reluctante paſſu, tam in extremo, quàm in exordio viæ fatigati, vulnerati, ſemivivi, in deſcenſu ab Jeruſalem in Jericho relicti; non ob aliam cauſam, niſi quòd ante inſtitutum iter vix aliquis abituri ad Patrem Chriſti rationem: *Expedit vobis, ut ego vadam*, prævia deliberatione conſuluerit. 5. Per verbum, expedit, DEUS mundum gubernat, transfert regna à gente ad gentem; Reges, & Principes aut ſedibùs ſuìs pellit, aut conſervat, & ſtabilit. Si expedit ut bella, fames, peſtilentiæ populentur, civitates auferant, provinciarum delicias, & oculorum deſiderabilia, continuò fiet. Si expedit, ut non im-

bre

bre cœleſti, ſed humano ſangvine, non vomeribus agricolarum, ſed pugnantium haſtis ſulcati, equorum ſoleis paſtinati, irrorentur agri: mox in meſſem, & manipulos belligerantium cadavera ſuccreſcent. 6. A verbo: *expedit*, tam juſtus, quàm peccator ſperat, quod meruit; totáque apud DEUM agendi, concedendi, negandi, ſalvandi, damnandi ratio, in hoc unico ſita eſt verbo: *Expedit vobis.* Quidquid toto vitæ ſuæ tempore Chriſtus in mundo egit, hôc unicô motivô fecit: *Expedit vobis.* 7. Exortam inter Filij DEI humilitatem, & Divi Petri modeſtiam de lavandis pedibus, litem energica Chriſti ratio diremit: *Nisì lavero te, non habebis partem mecum. Joan. 13. v. 8.* Agnovit Apoſtolus expedire omnino id fieri, quod teſtimonio æternitatis nunquam ſupfuturum credidit, & ſinè mora lavari ſupplex rogavit. Vim iſtius verbi: *expedit*, ſi intellexiſſent Apoſtoli, & fracto cortice ſuavitatem medullæ illius reguſtâſſent; acquieviſſent illico, etiam triſtitiâ abſorpti, diſpoſitioni Chriſti. Nos ſimiliter nisì intelligamus quid unicuique noſtrum expediat: hócque triſyllabo limite cogitata di-

cta, & facta nostra disterminemus, ægrè Divinis etiam oraculis credemus.

Pro eadem Dominica.

NOn dissimili ratione percurro reliqua Dominicæ hujus ideo, quia Dominica immediatè anterior, eundem ferè vultum cum præsenti in materia de non interrogato Christo: de abitu Illius, & de Paraclito, tristitiáque Apostolorum refert; quæ, cùm paulò ibi copiosiùs sint perpensa, breviter hìc recensentur.

Si non abiêro, Paraclitus non veniet. Joann. 16. v. 7.

PRofero nonnulla, quæ in hoc themate observari possunt. 1. Cur ad Apostolos venire Paraclito non liceat, nisì priùs locô Christus cesserit? Paraclitúsne Spiritus Sanctus pro suo adventu, an Christus pro recessu eam exceptionem, tanquam conditionem, sinè qua non, subrogavit? Sed Paraclitorum hujus mundi ea lex esto, quorum alij alios ex aulis, & Principum gratia exturbant. Et quod pejus est, cùm quisque se Paraclitum Reipublicæ profitetur, & jurat,

rat. Nullus autem occupando Paracliti locum, officium adimplet. Non invita accomodatione accersere possumus, quòd divisæ in tria seditionum, totidémque calamitatum capita, non sinè chymerico politici corporis portento, contigisse Reipublicæ Atheniensium memorat Plutarchus. Plebem civitatis illius, cui desperationem egestas, desperatio audaciam fecerat. Volens non nemo ex potentioribus, qui illi præerat, consolari: *Mitibus nominibus, & mansuetis*, inquit Plutarchus, *tristitiam rerum obtexit; meretrices socias, militum coordinationem, civitatis custodes, præsidia civitatum, carcerem domum nuncupando.* En solatia Paraclitorum hujus mundi: mitibus nominibus, & mansuetis tristissimas res obtegere. Sed cùm aliam longè consolationis methodum teneat, Spiritus Paraclitus, quē Christus sacrosanctè Discipulis appromisit; cur adesse non priùs voluit, quàm post abscessum Christi? Duodecim erant Apostoli, si totidem accederent Paracliti, ut suum quisque Paraclitum haberet, utique ad miserationis Divinæ, & tribulationis mensuram, multiplicarentur in Collegio Apostolico

lico ſolatia, multiplicatis Paraclitis: ſed contrarium plerumque fieri aſſolet, ubi enim multi Paracliti, ibi parum conſolationis intervenit: hanc enim priùs inter ſe dividunt ſolatores, quàm impertiant cæteris. Divinæ quoque bonitati non inſuetum, Paraclitos, eorúmque delicias non ingerere affatim tribulatis, præſertim cùm unus Paraclitus Spiritus Sanctus, pro omnibus ſufficiat afflictis. Dederit hic in parva licèt menſura ſiceram mœrentibus, penitus illam diluet propinando in gutta torrentem voluptatis. 2. *Si non abiêro, Paraclitus non veniet.* Magna promiſſio, ſed conditio gravis: vel ſola cogitatio de Chriſto dimittendo, ictus erat prope fatalis Apoſtolici cordis; non enim facilè dimittitur illud bonum, quod jucundè ad animum pervenit, ibíque ſedem fixit. Præterea quæ eſt neceſſitas in Collegio Apoſtolico alîus Paracliti? Quid obſecro ſunt commigrantes à viſu Salvatoris ad Diſcipulos gratiæ? Quid illimes oculorum, latentis in carne DEI cryſtalli, nives faciei, ebur frontis, electrum in capillos tenuatum, cryſtallina labiorum purpura in Chriſto? Nónne ſunt Apoſtolorum

rum Paracliti? Stuporis imaginem in perfuſa pallore fronte referebant Diſcipuli, palpebrarum demiſſis velis; erumpere tentantes claudebant lacrymas: inter admirationis nubilum obſcurabantur admirantium ora, & peregrinus à ſe animus præmorientes ſibi Diſcipulos effingebant, dum hæc audirent: *Si non abiêro, Paraclitus non veniet.* An enim ad aliam lucem verterent obtutum, quem in ſole defixerant? An manus ab illo expedirent vinculo, quòd arcanum à corde, velut mancipes Apoſtolos, vinctos DEO Incarnato tenebat? Immiſti amabiliſſimo Chriſti contubernio, illóque tanquam ſuô Paraclitô contenti vix alium facilè optare poterant, nè jacturam faceret amiſſio præſentis. Sed præſtat utrumque pro Diſcipulis ſtare Paraclitum, quàm ab utroque deſeri: ſi præſenti magìs adhærere velint, quàm adventanti. 3. Quàm infelices ſunt illi, à quibus, dum ſuus abit Paraclitus, alius illi non ſuccedit. Paraclitorum inter ſe cœleſtium condictamen eſt, ut alter informet alterum, quam ob cauſam à loco, in quo fuerat, abſceſſerit. Tanti eſt demereri

reri Paraclitum primum, ut ei non succedere secundus velit.

Pro eadem Dominica.

Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæ audiet, loquetur. Joann. 16. v. 3.

NOto breviter sequentia: 1. Non laborat intellectus in penetranda evidentia sanctissimi edicti hujus: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Quemadmodum enim Spiritui fortitudinis innatum, Heroes ad strenua formare: & Spiritus consili in senatusconsultis excellere in talentis Discipulorum suorum solet; ità veritas non ex alio hauriri fonte potest, nisì ex illo, quem Spiritus veritatis, Jacobi puteô effodit puriorem. Sed ratio asserti Evangelici arcere quodammodo ab assensu intellectum videtur: *Docebit vos*, inquit Christus, *omnem veritatem, non enim à semetipso loquetur, sed quæ audiet, loquetur.* Divina ista thesis deberet potiùs contrariæ dictionis epiphonemate sic probari: docebit vos

vos omnem veritatem : non enim loquetur, quæ audiet, ſed à ſemetipſo loquetur: ſi enim Spiritus veritatis ea tantùm loquetur, quæ audiet, impinget in multa obnoxia veritati: nisì fortè hæc non tantùm referat, nihil addens à ſemetipſo, quæ audivit: tunc enim, etiamſi ex fama locutus fuerit, narrabit convenientia veritati. Sed illud eſt in quæſtione, quid obſtat, nè Spiritus veritatis à ſemetipſo loquens, docere poſſit omnem veritatem, minimè pendens ab aliorum dictis? Quoties docendæ veritatis occaſio ſe, & oportunitas obtulerit? Verbum DEI non eſſe alligatum, Apoſtolus dixit: an fortè ità arctatur Spiritus à ſemetipſo loquens, & docens veritatem, utì arctare mos eſt concionatores in quibusdam regnis? Non eis licet audiente Principe loqui, nisì priùs aliquis ex Sacerdotibus aulicis oſtenſam in ſcriptis orationem, judicaverit dignam delicatiſſimis auribus, eâque verborum temperantiâ concinnatam, quam ferre poſſit non aſſueta rigidioribus majeſtas. Hácne ſervitute tenebitur etiam Spiritus veritatis? Ut nonnisì tunc ad veritatem erudiat, cùm ab alijs audita, quaſi jam eô

ipsô caſtigata retulerit? Raro, nî fallor, veritas, etiam à Spiritu veritatis ſinè fræno docetur. Sed urbanam veritatem non inducit Spiritus veritatis, qui in quoslibet reos etiam dominantes, liberè invehitur: quia non auribus hominum, ſed animarum ſaluti conſulit. 2. Non ſemper audita redolent veritatem, quô ſuppoſitô arduum illi erit docere omnem veritatem, qui ea tantùm loquetur, quæ audiet, ſuſpecta plerumque veritati. Multò tamen pejùs eſt, ſi loquens à ſemetipſo, aut contra veri honorem dicat aliquid, aut veritatem eâ curâ contegat, nè, ut odoribus contingit, vaſe aperto evaneſcat, & pereat. Neceſſe itaque eſt, ut duo ſint Spiritus veritatis, alius qui loquatur audienda ab alijs, alius, qui referat fideliter omnia, quæ audivit. Aurem nè acclines illi, quem ſermone licèt temperatum, Spiritu tamen veritatis vacuum nôſti: nam etiamſi id ipſum, quod audîſti, retuleris, ceſpitabit veritas, non tua quidem, ſed aliena, diſplicebítque Spiritui veritatis, qui omnem docet veritatem, id eſt: veritatem loquentis, & audientis. O! quàm difficiles inventu, cum ea oris, & aurium

rium

rium laude, narratores, & auditores veritatis, ut nihil dictum, auditúmque inter se velint, quod non sit dicatum veritati: sed narrantur, audiuntúrque non ingratè ineptæ fabellæ, & rumusculi probrosi: quorum vel syllabæ omnes adulteria sunt veritatis. Narrationum luxuriæ non tantùm virginum mentes, sed etiam virgo veritas corrumpitur. 3. Antequam per veritatis spiritum, veracium sermonum artem adipiscatur aliquis: eum priùs spiritus veritatis in audienda veritate studiosè instruit. Nisì enim priùs audire quis veritatem sciverit, loqui eam nunquam condiscet alijs. Regulam porrò, ad audiendam veritatem, inter alias necessariam puto: ut tota veritas, & quidem à proprij oris lingva, & voce non ab echone sua audiatur: ut tunc etiam non avertat audiens ab illa aures, cùm eas pungit: soli enim patienti auditori, veritas audita prodest: ut veritatis nuntiatoribus, etiam non postulatis, faciant locum dicendi auditores: ut oblatam ultro veritatem, tanquam stipes esset, in suum dedecus non trahant: sed eam tanquam pretiosum munus, à magnifico datore accipiant; placidè

id totum, quodcunque illos ſcire intereſt audiendo. Sic veritatem audire docti, narrare illam non ſinè magna utilitate ſcient alijs. 4. Quid ſi Spiritus veritatis non ea loqueretur, quæ audivit, ſed quæ à ſemetipſo prompſit: eſſétne hoc caſu Præceptor omnis veritatis? An certè relaxaretur Diſciplina docentis? Si, ùt reor, tam à ſemetipſo loquens, quàm audita referens, gauderet adhuc irreſtricta, ad docendam omnem veritatem, poteſtate: cur ea circumſcribitur lege, nè à ſemetipſo loquatur, ſed audita duntaxat enarret? Cùm etiã independenter ab omnibus auditis, in ſuo quovis idiomate digniſſimus ſit fide, & tam à ſe dictam, quàm ab alijs auditam, tenerrimo proſequatur amore, & affectu veritatem. Univerſalior præterea videtur eſſe docendi modus, ſi non alienis tantùm adhæreat dictis, ſed ſua etiam fundat oracula, illíſque tanquam ad lydium lapidem experiatur omne genus veritatis. Myſteriô res iſta tecta eſſe videtur: quantum autem fas non ſcrutari, ſed prono venerari intellectu verba Salvatoris; provenire id exiſtimo à perfectiſſima quadam Spiritûs docentis omnem veritatem,

cum voluntate, & intelligentia illius, à quo mittitur ad docendum consensione. Mutuæ videlicet communicationis sunt Sacramenta, refluo se flumine ad idem volendum, sentiendúmque impellentia: cùm itaque Spiritus veritatis non forensia, sed Divina intensissimè audiat; perinde est illi sua dicere, quàm referre illa, quæ à Divinitate ineffabili, explicatu Verbi Æterni audivit. 5. Accommodari Lojolanæ in summo gradu obedientiæ, benignè potest sermo Christi de Spiritu veritatis, idcirco ad eminentiam cathedræ pro docenda omni veritate evecti: quòd non à semetipso, sed quæ audiet, inevitabili veluti sponsionis cujusdam repromissione, locuturum se obligaverit. Parva magnis si modestè componere, & conferre liceat: imperfectam valde censuit illam obedientiæ formam Parens noster, Divus Ignatius, quæ mandata duntaxat exequitur: nisì ad eum gradum, qui perfectissimus, & excellentissimus est, ascenderit: ut non tantùm idem velit, & idem nolit cum imperante, qui imperata accipit; sed ultra executionis, & voluntatis in obediendo perfectionem, intellectu, & judiciô adhæ-

reat mandatis, & mandanti: vel, ut Evangelij expressione utar: non loquatur à semetipso, sed quæ audiet, loquatur, efficiat, & judicet. Nec alius verè Spiritus obedientium esse debet, qui, ubi constanter audita exequi, velle, & religiosissima mente complecti consueverit, deficere se, & à scopo veritatis aberrare putabit: si à semetipso loquatur, non autem proferat ea, quæ sunt aliunde intimata, & concredita audienti. Et hic ab Evangelio terminus non tantùm religiosæ obedientiæ, sed cuivis etiam politicæ potestati, non minùs, quàm Pelago alibi in scriptura significatur: *hucusque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Job. 38. v. 11.* Quod tum vel maximè Principes servare debent, cùm de sacris agitur, ut judiciô propriô abstineant, nec à semetipsis loquantur quidquam, sed quæ à Matre Ecclesia, tanquam obedientes filij audiverint. Quisquis ab ea reverentia, & obedientia, quæ debetur Christo, ejúsque Vicario in terris, Pontifici discesserit: indubiè loquetur à semetipso omnia, oblitus eorum, quæ audire, exequi, & velle, judicióque approbare, non evertere debuit.

Pro

Pro eadem Dominica.

Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Joan. 16. v. 12.

QUanto benignitatis affectu, & reſpectu foverit Chriſtus Diſcipulos, vivaciſſima expreſſit teneritudine in Evangelio. Parum illi videbatur, totum ſe uſibus, & curis eorum impendere, impolitos ſubtegulaneos ſuos, in egregios myſteriorum DEI contemplatores convertere, non minùs miraculis, quàm eruditione, acſi Angelorum cœtibus interfuiſſet, rudiſſimæ piſcatorum capacitati ſublimia ingerere: nisì etiam ſcrupuloſè obſervaret, quid, & quâ verborum temperantiâ loquendum illi eſſet, nè moleſtiam auribus Diſcipulorum vel minimam crearet. Poterant Diſcipuli ſonitum maris, & inundantium aquarum fragores, nullâ aurium injuriâ, quibus ceu littori ſecundo, fluctus ſuos, & cataractas allidebat tempeſtas, patientiſſimè ferre: nunc autem placidiſſimâ quâvis gratiorem malatiâ nequeunt pati ſermonem, quem Chriſtus in gratiam aurium Collegialium ſuorum ab-

rumpere cogebatur. Non attenta diſpoſitione audientium, multa, imò omnia recitant multi coram Diſcipulis, nè aliquis eorum contra authoritatem dicentis peccare videatur; ſi aliquid demat ex his, quæ enunciationi ſuæ, non tempori, aut exigentiæ rerum aſſignavit. Redige multa ad neceſſaria, & ſatis te dixiſſe puta, ſi tantum dixeris, quantum portare auditor potuit. Placebat olim aliquibus Ariſtotelis brevitas erudita; laudabatur ab alijs ubertas Senecæ, & intexta naturalibus quæſtionibus moralis eloquentia. Controverſiæ finem impoſuit Chriſtus in hodierno Evangelio, qui ſuæ tantùm, & nullius præterea imitator ſuadæ, neque multis perorat, neque paucis, ſed neceſſaria dicit. Eô vivimus ſæculô, ut loquente, & docente illo, unuſquiſque noſtrûm attentiſſimam præbeat aurem, & dicat: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* 1. *Reg.* 3. *v.* 10.

Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.

QUodnam iſtud verborum Chriſti pondus eſt, ut importabile videatur Diſcipu-

pulis: Ergóne quod loquitur Christus, appendi priùs in statera debet, nè aliquid ex dicendis, instar inaurium aurô gravatarum, excidat, quod auscultantium frangat, & enervet aures? Sermonem sæpius redeuntem, jámque nimìs notum, etiamsi fuerit sacer, utilis, & minimè productus, fastidium sui locô ponderis afferre puto. Mansuetudinis Christi stylus iste est; *Non potestis portare modò*: non illi petenda à longe erat probatio, si pro, non *potestis*, non *vultis* portare modò, dicere maluisset. Ubi semel per compendia rem tractari evicerint Apostoli, plures truncandæ erunt conciones, aut nutantibus explicandæ verbis, ut satisfiat auditorũ, exoletæ priùs indispositioni. Deduci possent ex his aliqua, usu comprobanda concionatoris. 1. Ut dictio capacitati auditorum correspondeat, & tempori, prudentia oratoris prospiciat. 2. In ea sit apud populares suos meritô virtutis, non putatitiæ credulitatis opinione concionator, ut invitum etiam auditorem, ad auscultandi Verbi Dei excitare possit alacritatem; aut, quod majus est, muto etiam non audientibus prodesse ore. 3. Cùm Christus

palàm

palàm multa ſe ex dicendis recondere in animo fatebatur, gratum indubiè fuiſſet illi, ſi urſiſſent Apoſtoli dicendorum continuationem: nisì fortè, quemadmodum omnia quidem aſtra ſpecioſiſſimè micant, ſed non omnia benigno influxu deſiderium ſui faciunt; quædam enim utiliùs latitant, quàm videntur, ità de his quoque ſentiendum eſt, quæ Diſcipuli, atteſtante Chriſto, ferre nequiverunt. Cæterùm magìs ſilentium oblectat Diſcipulos, quàm optimus ſermo Magiſtri. 4. *Adhuc multa habeo vobis dicere*, ſed quæ illa ſint, non aperuit; forſan, nè obviè propoſita, perfunctoriè, aut turbatè audirentur. 5. Si interrogâſſet Chriſtus ad eum modum Diſcipulos: adhuc multa habeo vobis dicere, poteſtísne portare modò? Sicut olim interrogaverat duos: *Poteſtísne bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Mat.20.v.22.* Reſpondiſséntne Apoſtoli exemplô filiorum Zebedæi: *Poſſumus*: lectoris judicio quæſtionem iſtam dono. Mihi interim illud Auguſtini occurrit: *Da mihi caſtitatem, ſed noli modò.*

Ad-

Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.

GEnuina Æternæ Veritatis enuntiatio iſta eſt: *Adhuc multa habeo vobis dicere.* Etiamſi enim infinita Chriſtus dixerit, dies, noctéſque in concionibus, in diſputationum ſubtilitatibus, non ad tridui moram in templo, ſed totô indeſinentis, & nunquam ſilentis vitæ ſpatiô exegerit; eandem ſemper proferre ſententiam poterit: *Adhuc multa habeo vobis dicere.* Dederit ſanè quàmplurima Chriſtus, fecerit innumera, ſeminaverit licèt, & ſecus viam, & in petra, & in ſpinis, & in terra bona, omnis generis grana; ingeminare rurſus oraculi ſui celevma poteſt: adhuc multa habeo dare, multa facere, multa ſeminare. Hæc in eum refero ſenſum: nunquam DEUM, niſì multa pro noſtræ utilitate ſalutis facere, multa dicere, & ſeminare conſueviſſe; etiamſi pauciora ingratis ſuffeciſſent. Unde veriſſima hac Chriſti convicti ratione Diſcipuli: *Non poteſtis portare modò*: nihil in contra oppoſuerunt. Quis enim illa multa ferat, quæ DEUS noſtris commodis, & neceſſita-

tibus fideliter ſervat? Nisì vires ſimul ad ferenda dederit. Qui multa peccata portare poteſt, cur à monente Chriſto, verba ſe portare poſſe neget. Iſtud pondus ſuave eſt, & onus leve, quod & ferre, peccator & ab illo debet ferri.

Pro eadem Dominica.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Joan. 16. v. 14.

Non iniqua liberalitas eſt, etiamſi non plurima tantùm, ſed & omnia in illum impendantur, qui danti refundere ſplendorem novit, & beneficiô alienô illuſtris, non ſibi lucet, ſed benignitate largientis protractus ab obſcuro, divertentes ad ſe beneficentiæ radios, in authorem reflectit. Sed non unum contrarium exemplum, at longum propè agmen reperiemus illorum, qui claritati comparandæ prodegerunt, & prodigunt avitas opes, & pretia hæreditatum addixerunt, clarum nomen ſpondentibus: circumfuſa ſubitò potiùs egeſtas inumbravit incautos ità, ut nomen in illis patrium, & majorum tituli quærerentur.

Pau-

Paucósne spectavimus, qui se in clientum numerum, & servientium vilitatem demittunt, ubi opportunam prædæ, juventutem potissimùm locupletem advertunt: his consilia suggeruntur, ostentatur honor in honorum titulis, si se duci, & instrui, si arbitrio permittere se velint, summa quæque promittentium. At isti claritudinum promissores, id primum, id ultimum agunt, ut accipiant, ut de alieno niteant, & subtractô succô à planta, cui se obsequiorum assimilatione illigaverant, hæderæ more, virescant ipsi, & latè corymbos explicent, desiccatis non frondibus tantùm sustentatricis suæ, sed & radicibus. Emergunt in lucem, qui olim dominorum umbræ fuerant. A latebris prorepunt sensim, quæ stipabant patronum insidiosa officia, ut & viscera, & fulcra magnarum domuum videantur: sed quodcunque nomen suis famulatibus imponant, per quos clarificare se dicunt illos, quibus se applicuerunt; scopus, & finis unicus illorum est, ut accipiant. Dum ornare se jactant munificas domos, evacuant easdem, dum sustinere, & fulcire pollicentur, in ruinas impellunt; ex quibus suas non

tam

tam domos olim, quàm casas, in fastigia struunt, & attollunt; & ruderibus benefactorum, suas amplitudines, & spes inædificant; invidiosásque, & novitate non consistentes structuras, affinitatibus conjugas, & ad publicam deducentibus notitiam munijs, veluti ferreis fibulis vinciunt. Illi interim, cujus facultatibus non spectandos se, verùm & suspiciendos fecerunt, vanas spes relinquunt claritudinis, vel inextricabiles difficultates, & errores, quibus implicatur labyrinthus, nullô remetiendus filô.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.

FAciliùs est accipere, interdum etiam rapere invitis patronis, quàm eosdem clarificare. Nihilominus benevoli passim vocantur etiam raptores, à nundinantibus claritatem. Hæc vox illorum est: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Accipiat igitur splendidos cubiculi apparatus, nitentes aurô, & purpurâ equos, zobelinis pellibus suffultas togas, si pro his illustre nomen recipio ab eo. Sed in contrarium vertuntur omnia, cùm & suppellex magnifica, &

pur-

purpura, & equi, simúlque cum his claritas abit domô, quòd imaginaria esset. Clarum apud obvios faciebant, cùm aderant ista, aurô scilicet, veste, argentô, equis, visendi apparatus; cùm in consessum primorum, circumfusa suo fortuna cultu, deducebat patronum; at, postquam hæc, & complura alia evanuerunt fraude promittentium claritatem, feruntur promissores inauratis carpentis sublimes, sexjugibúsque equis, ille verò qui dabat, desiderat omnia, & discit suis niti, & incedere pedibus. Rarissimè accipientes invenias, qui non se clarificent acceptis, sed claritatem illis elaborent, à quibus acceperunt. Quanta liberi, & quàm multa accipiunt à Parentibus, congeruntur immanes pecuniarum acervi in armandum, alendum, vestiendum militem; effunduntur in legationes ad exteros plurima, squallente sæpe Principe, & Republicâ, forsan ideo, quia ex publico, & claritatem, & opes derivat in se quilibet, jacet verò commune bonum ad quod nemini vacat inclinari, nisì ut de illo accipiat. Et hinc patet, claritatem non obtingere persæpe illis, qui in hanc expenderunt plurimum, clare-

scere

ſcere autem ultra meriti, & rationis modum eos, qui nullam in id operam locaverunt.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.

HOmo avarus, & illiberaliter tenax, nihil omnino inveniet ad ſuum palatum, & commodum in documentis, quæ Evangelium præſens offert. Prædicentur, & pluribus illecebris perſuaſionum, proponantur hiantis avaritiæ homini, claritudinis occaſiones, appromittantur & tituli inſignes, & dignitates ampliſſimæ, ſi ad iſta unicum gradum dixeris eſſe, nec diſtare longiùs, quàm diſtat ab eo, ſuperimpoſita cervicali arca referta aurô; reſpondebit: accipiant ſplendidos honores alij, meus ſplendor pecunia eſt. Ulcus aſperatum ſinunt tangi faciliùs avari, quàm aurum. Hoc, ſi illis ad manum ſit, obſcuritatem non metuunt, & ſpecioſa nomina ſola pretiô digna cenſent, quæ vel paritura pecuniam ſunt, nemine obſtetricante, aut fontes divitiarum apertura. Egóne, inquit avarus, profundam non redituras opes? Ab avido,

&

& insatiabili clarificatorum sinu? Emergent illæ nunquam ex ista charybdi. Ingentia famæ lucra nihil curat, qui lucratus est argentum, & aurum. At nundinatoribus claritatis non otiosæ torpent industriæ, ubi adverterint obnoxios suis artibus, quos scilicet hæreditas plùs locupletes fecit, quàm ingenium perspicaces. Primus conatus est, ut his se applicent: tum versantur curæ, nè cum paria ambientibus prædam dividant. Si quos jam vident ascitos, in quos curas patronus, & negotiorum splendidiora reclinat; miserationes mox, & consilia miscent, veniam petunt, ut plura candidè promant, tum indignitatem rei exaggerant, quòd nullo honoris, & famæ proventu consumuntur opes, quòd parùm industrijs, & peritis manibus commissæ fortunæ attenuantur sensim desituræ, suam operam, & exercitatissimum in similibus ingenium offerunt, & devotum spondent, nullô, vel exiguô ad se derivandô lucrô: totam domino, & pluries auctam reddituri, avitæ amplitudini illius gloriam, & æstimationem. At ubi quod quærebant, persuaserunt, exclusísque alijs, penes se restare vident accipiendi arbi-

bitrium; ſuæ non deſunt felicitati, ſuam, & alienam aviditatem accipiendo adæquant, egregiéque vicem illorum, quos eliminârunt, ſupplent, facultates heriles in ſe vertendo. Sed nec pro ſe, nec pro alijs claritatem domino elaborant.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.

SEcuritatem clarificationis Filius DEI innuere, & exprimere videtur in his verbis: *Quia de meo accipiet.* Ac ſi per hanc dictionem, inſinuare accipienti velit: in meam claritatem efficiendam, cur non debeat vertere vires, & induſtrias omnes ille, qui de meo accipiet? Si ab alijs quoque ſpes penderet accipientis, ſi aliam præterea munera in ſe profuſuram exſpectaret accipiens manum, ut diſtrahendæ ſpei in diverſa, à diverſis conſequenda dona occaſio eſſet, fortè neque curæ accipientis, ad unicè inſudandum meæ gloriæ coaleſcerent. At cùm à me, & de meo accipiet, ea ubertate, ut nihil illi reliquum ſit deſiderij, quòd alienis largitionibus expleatur; certum, & ineffabile eſt, clarificationi aliorum vacaturam men-

mentem accipientis de meo, quia mea liberalitate occupabitur. Si inter mortales, ùt minimè inſolens eſt, contingat apud unum â pluribus clarificationem licitari, quorum ſinguli accipiant, nulli ambiguum eſt proventuram nemini à nemine ex licitantibus claritatem, ſed ſpolijs omnium, inſtitor claritatis eluceſcet. Cùm enim plures ab uno accipiunt, vel hôc ipsô claritas expendentis deſperanda eſt, citóque deſiccabitur, quarumcunque facultatum alveus, ſi per plures ſecturas derivabitur; nam quoties apud unum, officium clarificatoris plures invadunt, ſibi invicem officiunt, & inter diſcordes, nec ſibi attemperatas, nec operi manus, etiamſi ex animo quæreretur effectus, in nihil deſinit. Par, & idem omnibus his ſtudium eſt, ut accipiant; ſed idæas claritatis diverſas effingunt ſinguli, quæ in unam decori imaginem compingi, nisì monſtrosè, non poſſunt. Ut certa eveniat illi clarificatio, qui impendio cuilibet non parcit, modò illam habeat; prudentia, & fidelitas in opus, & exercitium advocanda eſt. Qui claritatem effecturus accipit, fidelis ſit, neceſse: accipiat, ſed clarificet;

manúmque in accipiendum vegetam,& exporrectam dum habet, ad clarificandum quoque, non cessatricem,neque exanimem exhibeat: provehat in amplitudinem dantis accepta, non intervertat: admetiatur muneribus claritatem, neque sua lucra passibûs, largientis autem dignitatem punctis definiat. Fit etenim plerumque, ut insignibus datis, adumbrata tantùm,& in umbram desinens clarificatio, nullatenus respondeat, quod deforme, de bene merito spolium est. Sed neque prudentiam clarificator seponat, non quidvis promiscuè clarificandum suscipiat, sed illud, ad claritatem provehendam eligat, quod claritatem patiatur, nec refugiat, sítque illius capax. Quid enim ad lucem protrahat ea, quæ abdenda potiùs nè lædant oculos, non ostendenda sunt. Nescio, stultitiáne, an malignitas sit accusanda illorum, qui laudis, & clarificationis avidos, dū advertunt, ad illa laudanda, & celebranda conatum vertunt, quæ fastidium, & contemptum merentur. Hæc sola clarificator assumat, quæ commendari, & in luce poni dignum est. Si clarificator aliquid repererit in illo, de cujus mu-

muneribus impletur, quòd eum ornare mi-nùs poſſet, taceat potiùs, beneficijs gratus, quàm proferat in lucem id, quod claritatem non ſuſcipit, ſed exinanit.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.

NOn inutili adverſioni inſiſtam, quam verba Salvatoris offerunt. Eſt autem hæc: *Non ego dabo*, inquit Chriſtus, *ut poſtquam dederim, me clarificet*; inde tamen claritas certò proventura Salvatori dicenti: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Non quærebat largitione ſua, claritatem Redemptor; nam pridem conteſtatus eſt, quòd gloriam ſuam non quæreret; ipſe ultrò Spiritus Divinus negotium honoris illius promovendi ſuſcepit. Quæcunque gloriæ Chriſti propagandæ apta in ipſo notaverat, excepit avidè, nec verò quidquam fuit, quod nomini huic illuſtrando obeſſet. Produxit ſingula, & explicuit, ut dignitatem meritorum illius ditaret. Non noſtrum in accipiendo morem imitatus Spiritus Sanctiſſimus; quæcunque accepit, Chriſto clarificando impendit. Non mutuò, non cautione interpoſita accepit, nam omnia quæ

Christi erant, in communi cum Spiritu Sancto Divinitatis ærario manebant consignata: quia tamen Divina pagina Spiritui Sancto attribuit, quòd acceperit à Christo, inquiens: *De meo accipiet.* Quæcunque dicuntur accepta, in clarificationem Salvatoris humani erogata fuerunt omnia. Donis omnibûs, quibus orbi terreno influxit, omnibûs lingvis, cum quibus se in terram expandit, Christum clarificavit Spiritus Divinus; non suo sub nomine, sed Christi, effusi in genus humanum gratiarum thesauri, effulserunt. Dedit Divinissimus Spiritus infidelibus veri notitam, ut Christi nomen innotesceret, dedit Apostolis potestatem, ut langvores curarent, ut illis omnipotentia obsequeretur Divina; & ad illorum imperium, ordo naturæ circumageretur; dedit hæc omnia idcirco, ut supremum Christi, in creata omnia dominium elucesceret. Multis à Spiritu Divino illa animi magnitudo instincta est, quæ bona terrena fastidirent attingere, & abjicerent; ut agnoscerent potiorem in Christo esse, & à Christi meritis comparatum felicitatis fontem, quem æternitas non exhauriret: largitus idem

idem Spiritus Sanctus plurimis pudorem ſalubrem, ſcelerum commiſſorum penetratiſſimum, de indignitate criminum dolorem, horrorem periculi, quod ad paria committenda deduceret, omnia hæc nomine Chriſti donata ſunt, per quæ in omnibus agnoſci voluit dignitatem, merita, & ſangvinem Redemptoris, hæc omnia ex cumulo partarum per Chriſtum infinitarum divitiarum accepit, & Chriſto clarificando addixit. O! quanti gloriæ DEI, & Chriſti Ejus Unigeniti ſpectarentur acceſſus, etiam per manus noſtras, ſi omnium beneficiorum, munerum, & gratiarum, quæ in nos collatæ ſunt, & conferri non deſinunt, non alius nobis uſus eſſet, quàm ut hæc gloriæ munificentiſſimi Salvatoris conſecrentur, & in conatûs iſtius exercitio conſumantur ex integro. Sed heu dolor! heu pudor! noſtram ex DEI beneficentia claritatem aucupamur, & Illius Nomini debitam, in vanitatis explendæ paſſum decerpimus. Nos ingratitudinis probrô obſtringimus, & coram DEO contempti, & viliſſimi reddimur.

Dominica V. post Pascha.

Usque modò non petîstis quidquam. Petite, & accipietis. Joann. 16. v. 24.

OBjurgat Discipulos propensissima ad largiendum voluntate Christus, & propè commotior exprobrat illis, quòd nihil petîerint hucusque. Inaudita hæc ad dandum alacritas: nunc offensa in promptu est, si petas: adeoque nihil injuriâ opus, ut potentiores scommatis, & convitijs non parcant; ad accendendam bilem satìs est, ut rogentur: idémque infestum esse, quòd supplicem putant. Immodicus, & sibi discors fastus, adoratores equidem captat, sed rogatores timet; hinc distendente superbia, inde contrahente avaritia, quæ credit sibi eripi, quod petitur: ideoque pavidam cupiditatem, veluti contra arietes, & cuniculos, præmunit ferociâ. Tantùm abest, ut miserorum vota præveniant liberalitate opulenti: ut potiùs hanc sibi assumere fas credant authoritatem, quæ edicit, nè rogentur. Hac tenacissima ætate etiam illæ do-

domus,quæ naufragium fortunæ paſſis,portus erant: nnnc frequentiùs aſperæ cautes ſunt, ad quas calamitate appulſi cruentantur. Avaritiæ contagio ea afflata mundo eſt, ut eraſerit beneficiorum uſum, & nomina. Accipitrum plena ſunt omnia, vel rapientium aliena, vel illis inhiantium. Vix ulli ad imitationem arridet illa Chriſti benignitas, quâ non ſolùm beneficia etiam non poſtulantibus ingerebat; ſed excitabat quoque ad petendum, quos egere beneficiô credebat. Miſeranda, aut potiùs erubeſcenda facies rerum eſt: omnes ferme vel in mendicos, vel in medicos abiêrunt: qui non alij quidem ulli, ſed ſibi inculcant, ſcribúntque non ſanaturum aviditatem recipe. Mendicorum tribus, alias hominum claſſes, aut locô movit, aut ità ſe infudit omnibus, ut hæc unica aſpiciatur. Etiam Illi, qui olim in dando liberaliſſimi erant, præ omnibus illis, quos mantica, & ad ſtipem porrecta manus alit, petatiores ſunt, & avidiùs accipiunt, aut rapiunt, ſi, quod petunt, citò non datur. Ità illis, & opes, & mendicitas exuberant. Et in Eccleſia quidem militante, alij mendicantium

ordines cenſentur: ſed inter ſeculo militantium quaſcunque claſſes, unicus tantùm mendicantium ordo eſt. Utinam verò tam contemptibile ſit, quàm noxium eſt generi humano mendicorum iſtorum genus: qui, cùm ad mendicitatem redegiſſent alios, mendici facti ſunt: utinam, inquam, non cupiditate tantùm, ſed & neceſſitate mendici fiant. Oſtendunt illi, nec omnes mendicos egentes eſſe, nec omnes divites quibus opes affluunt, & divitiæ ſunt, quæ depauperant; ſic eſt & egeſtas, quæ ditat; ùt cuidam neſcienti fatum ſuum indicatum eſt: *Quia dicis, quid, dives ſum, - - & neſcis, quia tu es - pauper*; *Apoc.3.v.17.* qualẽ te divitiæ tuæ fecerunt. Puto cognatos iſtius in primo gradu fuiſſe illos, quorum non minùs venuſto, quàm acerbo ſcommate, lacerat avaritiam ſatyricus, deſcribítque deforme circa ſportulas certamen: non plebeculæ tantùm, ad potentiorum limina ſalutationis officium vendentis: ſed patritios etiam & magiſtratuum prætextas, gauſapinis permiſtas lacernis; ſi ad opulentium ædes indicta largitio, cupiditatem excivit: ſubmovebant turbam patritij, & triumphalium

avo-

avorum nepotes ; poſt decoctas hæreditates, cum equeſtri annulo, manum ad dantem non dubitant porrigere, & ut primi in clientum accipientium turba eſſent, pugnabant, & fortè egeſtati, quæ ad ruborem occalluit, excuſatio non difficilis. Sed quis ignoverit locupletibus, quos inopum agmini permiſtos, nonnullos deteriore toga aliunde ſumpta, fidem indigentiæ facientes obſervabat turba, & agnoſcebat. An fruſtra tremiſcent egeni, cùm deſtinatum verè miſeris ſubſidium in perſonatos pauperes transferetur: cùm ſportula, quæ parva limine ſedet, turbæ primò rapienda togatæ, id eſt harpyarum accurſu exileſceret: cùm primæ quoque dignitates ad munera convolantium, populo inopi anguſtiam facerent: cùm beneficij diſpenſatores, meritò ſolliciti caverent, nè ad nocendum potentes præterirent, Da Prætori, da deinde Tribuno, ſed libertinus prior eſt, Sic libertini, qui magnarum domuum viſcera, Dominíque tunc erant, quibus ſupra equeſtres cenſus, ſupra ſenatorium ſplendorem, marmoreæ domus, horti, porticus, & provincias obſorbentia fœnora, principum fortunas ſu-

perarent. Sic, inquam, primi ad ſportulas, & mendicandum erant! Nec mirum eſt exaruiſſe paupertinas Quiritum tribus: contabuiſſe gregarios caligatorum ordines: pro ſtipendijs debita numerâſſe: caſtris, cum penuria, & nuditate, graviſſimum fuiſſe certamen: cùm fontes ſúbſidiorum irrigaturi tenues, in hos gurgites derivati ſunt. Sed heu prætextæ eburnea ſubſellia veſtra ſint, etiámne pontes, & tegetes, etiámne purpura, laceram penulam in miſerorum agmine prævertet, & valentes mendici, debilibus veris ementiti, offam à faucibus extorquebunt? Non leve quidem tormentum liberalitas ſentit, ſi, in quos ſe refundat, non reperit: ſed & indigentibus non mediocris injuria eſt: ſi petacitas locupletum, parata tenuitati ſublevandæ beneficia intercipit.

Uſque modò non petîſtis quidquam. Petite, & accipietis.

VArij rogatores, eorúmque genij poterunt educi ex hoc themate, & diſcriminari. Avaris parum eſt, ſi fami ſuæ ad accipiendum, petitione ſuccurrant: ut plurimùm non ſibi tantùm appetunt, ſed & comi-

mitibus vitijs : quæ vix unquam abeſſe ſibi patiuntur. Non ſunt indagata difficilia, pro quibus ſollicitè, quæſtuoſa in petendo avaritia multa efflagitat; mendicat pro corde avari curas, quibus illud exedit : cùm mendicula Sareptana ligna colligit pro foco, ad quem ſe cupiditas, ſi eam contingat frigere aliquando, calefaciat: ſupplicat pro phalerîs exornando aſino ſuo, quibus eum ad portanda onera pelliciat. Superbi demittere ſe ad rogandum non ſuſtinent, ſed veluti ex veteri Balearium diſciplina, jaculô panem petunt, & eum tantùm appetentiâ ſuâ dignum putant, quem decutiunt, aut certè armatas preces non minùs, quàm baliſtas, aut arietes expediunt: ſæva enim magìs, quàm petax mavult eſſe arrogantium cupiditas, apud quos ſuavitatem quævis amittunt, ſi non ſpolium quoque in eis reguſtant. Aliqui non diſſimiles ſunt in petendo Heli filiorum ſervulis: poſcebant ipſi à ſacrificantibus carnes, ſed ſimul immiſsâ ad caldarium fuſcinâ, quidquid prehendiſſent, tollebant. *Da*, inquiebant, *alioquin tollam vi*, 1.Re.c.2. factúmq; protinus ſequebatur minas, quibus negantiū modeſtiam eidem

fu-

fuſcinæ, cui & carnes infigebant. Aviditatem ità petentium, nè ſacroſancta quidem templorum adita evaſerint. Plures jam Heliodoros videmus, qui ſacerrimis, & religione gentium inacceſſis, qui præſenti inſeſſorum numine fanorum ærarijs, arietem admovent: ridéntdue flagella, quæ Heliodoro avaritiam excuſſerant. Non dubitant alimentis viduarum, & altaris miniſtrorum, & ſacrorum uſui, & ſplendorum dicatis muneribus, oculos primùm adjicere, tum probatis publicæ neceſſitatis veroſimilitudinibus poſtulata acuere: ac denique manu injecta, quæ placuerunt, abducere. Sic Hieroſolymitani vaſa templi, ad victoris Regis ſanctius ærarium ſepoſita, ultimíſque ſervata ſubdijs, potantium turbæ, & turpi concubinarum gregi permiſſa ideo, quòd placuiſſent. Nec mirum eſt, auſam olim rapacitatem, delubris ſuorum numinum, quæ ridebat, incurrere, & poſt Toloſanum aurum, ac expilata Apollinis ſanctuaria, non tegulas etiam aureas Capitolini Jovis evaſiſſe gryphorum ungves. Non fulmen ipſum armati Tonantis, quod procellarum radijs verum immiſcuit aurum, diripien-

pientium manus absterruit. Non clava Alcidem tutata est: non tridens Neptunum, ùt Poëta ludit: exstat qui radat femur Herculis, & faciem ipsam Neptuni. Quantò promptiùs attonsæ aurô rutilantes barbæ, detractáque, si aurum explicabant, paludamenta. Hæc mirari, quanquam Ethnicis abominabilia, vix possumus: cùm Christianum etiam seculum, etiam sub Catholicis Principibus spectet quotidie, solâ audaciâ, & rapiendi libidine excusata exempla: quæ barbaræ quoque nationes horruerunt in sua fana, & religionum ministros designare. Involantur adscripti altaribus agri: abiguntur cum instrumento ruris pecora: ut annona sustentatura flaminum vitam, aurô templorum redimatur. Hæc omnia tamen quòd petantur, non rapiantur, exactrici schedæ, & diripientium immobilibus edictis credendum est. Fas certè, sed si tutum quoque esset; vos ego alieni importunissimos quæsitores compellarem: si ità petere pergitis, accipietis omnia; cùm ab ijs, qui armatam cupiditatem non possunt retundere, petatis.

Usque

Usque modò non petîstis quidquam. Petite, & accipietis.

Cùm diebus singulis, importunissima petentium turba ingereret se Discipulis; alij enim oculorum lumen, à vera Luce, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, clamosissima necessitate evincebant: alij pro vitâ functis, pro agonizantibus alij instabant: mirum est, quòd inter tot irrequieta supplicantium agmina, non etiam Apostoli ad petendum excitati fuerunt! tota vita Christi dies rogationum erant, exempla impetrantium, appetitum acuebant ad petita: nihilominus, ùt ex mitissima Christi commonitione liquet, neque liberalitate profundentis beneficia, neque impetrantium obtentis, tangi videbantur Apostoli: donec aut verecundiam, aut ignaviam retardantem eos â petendis, corripuisset Christus blandissimè his verbis: *Usque modò non petîstis quidquam.* Sed querimonia hæc cor nostrum, quod obduruit, petit, & obstructas, aut potiùs ulcere intractabiles aures vellicat. Simus licèt ab hominibus repulsi, indigentiarum plenissimi

mi, à DEO tamen vix quidquam petimus: nisì nos aut urgentior ad supplicandum compellat necessitas: aut invitans Numen petitionem eliciat. Durorum, & sensum nostræ calamitatis non habentium hominum, sæpè prensamus genua; perseveramus in petendo, etiam irritâ toties petitionum instantiâ. Ergóne pari duritie, aut majori obstinatione diriguisse paterna DEI erga nos viscera credimus? Contumeliam tantæ bonitati per nos fieri agnoscimus, si in petendo hæsitamus. Adest benignissimum petentibus Numen, & beneficiô se cognosci mavult, quàm vultu: imò id ipsum, quòd sub aspectum non cadat, præstat indigentibus: quibus radius lucis à vultu emicans, verecundiam petendi faceret. Tanta se indulgentis facilitas DEI, exclusisse videbatur à petentibus metum, sed non exclusit fastidium. Vota vix concepta aliorum, consequitur largiendo, aliorum prævenit Bonitas Divina, sed vix acceptantur: respuuntur sæpiùs dona, si non ad ungvem, cupiditati in eligendo stolidæ, & in appetendo furiosæ, præposteræque legi congruant: quam eadem vecordia sancivit, ut men-

mendico, non datori, munerum eligendorum ſit arbitrium. At quanto majore noſtro commodo futurum eſt: ut grati hilaritate excipiamus obviâ; quidquid proniſſima ad effluendum DEI voluntas, ex donis ſuis, in ſinum noſtrum congerit, quàm ſi noſtris, proh! quàm cæcis, quàm anguſtis deſiderijs, obſtrictam velimus DEI beneficentiam. Partes noſtræ ſunt: ut petamus illam inter alia gratiam, quæ nos doceat, quid petituri à DEI bonitate ſimus: incunctantérque petamus, quæ DEI placitum credimus; nec exſpectemus, ut ad petendum compellamur.

Pro eadem Dominica.

Si quid petiêritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joannis 16. v. 23.

ACcedere ad orandum DEUM, non aliter licet, quàm aſſumpto Unigeniti Illius nomine. Hoc nobis adſcitum nomen, abolet cohærentia veteribus noſtris appellationibus probra. Redeat ſanè, devoratâ cum meretricibus, hæreditatis ſorte; exul à ratione, honeſtate, & à Patre Filius; adhuc illu-

illuvie, & cœno, quod ei consuetudo cum porcis allevit squalidus, siliquarum pastu deformis, ad limen paternæ domus anxius. Redeant alij tandem pecudum pertæsi, quibus eos, consectandæ voluptatis libido perditos, malè permiscuerat. Si superjecto sibi Christi nomine, alia quæ induerant nomina, nesciant, & erubescant; Deum experientur Patrem, & quæ petîerint, accipient copiosissimè. Spectabit, & suô ornatos gaudebit nomine Christus: Patríque suplex, obtinebit facilè, ut in filiorum transcribantur sortem, qui conditionem jumentorum adamaverunt: discántque paternum invocare nomen, & idioma humanum exprimant, qui aut rugitu leonum, aut hinnitu equorum, & vulpium gannitu nosci consueverant. Neque verò sola sua affirmatione, se filios Patri optimo persuadeant: tam decoram appellationem temerariâ audaciâ usurpando, sibi imponere, & stulta ostentatione blandiri poscant DEO, qui nec aurem admovere Jacobo voluit, ut exorantem pro illo matrem audiret. Nec Esau hirsutas attrectare manus, sítne ille, an quispiam alius, opus habet, qui non per experimenta

sensuum, non per hircinos villos, & vocis variè infractæ modos, sed per animum cujusque, unumquemque novit. Quot pigmentis, & fucis adumbrare filiorum nomen, summa arte conabantur Pharisæi: non sua tamen lineamenta, sed alienæ stirpis argumenta retexit, in ijsdem oculus Christi; *Vos ex patre diabolo - estis. Jo. 8. v. 44.* Non à mendacio petamus, ut soboles DEI simus. Non peregrè quærendum privilegium hoc, *ut filij DEI nominemur, & simus. Jo. 3. v. 1. Non longè ab uno quoque nostrûm*, ùt gentium Apostolus ait: *ipsius enim, & genus sumus. Act. 27. v 28.* Et, si per nostram indignitatem, & animum ingratum contigerit, ut hæreditas hæc nobis pereat: si benignissimum coëgerimus Parentem, ut nos tanquam dehonestamenta sua nescire se proclamet, & abdicet: dedit nobis iterum in nomine Unigeniti sui *potestatem, filios DEI fieri. Jo. 1. v. 12.* Quis igitur præter nos Petrem nobis in DEO intercipit? Quis solum judicem, scelerum accusatis, & convictis mancipijs Dominum retegit? Quis vetat, nè in nostro ad DEUM per petitiones recursu reperiamus omnia? Si ex sponsione Christi, quid-

quidquid petîerimus in nomine ejus Patrem, dabit nobis? Nemo alius, nisì nosmetipsi.

Si quid petîeritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

UT oratio nostra illa sit, quâ eliciamus beneficia à DEO: requiritur, ut non oris tantùm, & motu labiorum strepat, sed etiam vires animi advocet ad orandum; requirit, ut non sensus, & appetitus sensuales rationem præcurrant, vel confundant in petendo, non cogitationes disparatæ tumultuentur, non cor transfugiô per avia oberret, sui incertum; non manus iniquitatum plenæ, & impuritatibus sordidæ, erigantur versùs cœlum; nihilominus quantumlibet in orandi incumbamus artem, conatúsque ad persuadendum adhibeamus omnes; quidquid fecerimus, nihil est ad destinatum finem, nisì simul petiturum nomen Christi jungamus. Oratio nostra quantumcunque elaborata, balbutit, nomen Christi efficacissimè perorat. Mendicabulorum more geminamus suplex carmen, quod vicos, & fora personat, sed non continuò quæsitas

ſtipes congerit : Chriſti nomen vim legis habet, & infruſtrabile efficit poſtulatum, cui præfixum eſt. Quanta ſæpe contentione panem quotidianum inclamamus! At nomen pronunciatum Chriſti, paratum jam unà cum DEI manu, versùs nos panem inclinat. Preces noſtræ etiam flagrantiſſimæ, nihil afferunt quod non mereatur, aut faſtidiô excipi: aut ſurda præterire aure: aut indignatione quoque repelli: nomen Chriſti ubi inſonuit, cor Patris Æterni rapit, & bonitatis ſe effundentis, abyſſos quò voluit, derivat. Neque tamen in illud nobis declinandum eſt abruptum, quod ſtulta maleſanorum præfidentia aperuit: omnia illi, nomine, & meritis Chriſti confecta, & abſoluta jactant; nihil reſtare ad agendum crocitant: nisì ut ſecuri omnium, fruamur paratis; omni ſolicitudine excuſſa, fidémque in negotio ſalutis ſolam ſufficere putemus: abunde locô omnium perſuaſi, quòd Chriſti nomen invocatum ſit ſuper nos. At iſti exoculati duces, pereuntium poſt ſe trahentes agmen, & in præcipitium impellentes: non advertunt, vel inde cæci, quòd nomen quidem Chriſti ſolum, pretium in ſe

ſe omnium, quæ mens humana cogitare poteſt, contineat: at Chriſti ea voluntas eſt, ut nomen ſuum, non nomini tantùm noſtro, ſed & actioni, & orationi jungatur: neque nos, ùt inanimem ceram, ſuo charactere ſignatum intendit. A vivis, & egentibus, intimóque corde ſuplicibus, ut ſuū aſſumatur nomen, monet: agnoſcendúmque à Patre ſpondet, obtenturum eſt hoc nomen omnia nobis; ſed orantibus, & non omnino otioſis, Gratos utinam nos experiretur hoc ſanctum Nomen, quod nobis orantibus jungi ſuſtinet, & ſuô conſortiô quæcunque deſideramus, parat. Et uſu quidem communi receptum eſt, ut, quidquid conjunctorū nonnisì duorum petitione acceptum eſt, ad duos ex æquo pertineat. Nos potiorem in petendo Chriſti partem, libenter habemus, in eo, quod orando acceptum eſt, nullam eſſe volumus. Quantis, orante nobiſcum, & pro nobis Chriſto, implemur quotidie lucris, commoditatibus, favoribus: inde tamen redire nihil ad ſe Chriſtus videt. Quô enim Nominis hujus ornamentô cumulantur nobis opes, floreſcit corporis valetudo, augeſcit apud alios

æſtimatio: addenſatur circa nos protectionis Divinæ, muri inſtar inexpugnabilis, noſtri conſervatio, quæ obvia adverſa infringit, & retundit ignea tela nequiſſimi. Quis inter hæc præſidia nos poſitos, & contutatos, gratos tantorum munerum advertit? Inſigniuntur hæc omnia nomine Chriſti, ſed inſigniri etiam noſtra erga DEUM pietate, & recognitionis teneritudine debent. Certum quidem eſt, Nomini huic, ſupra omnes æſtimationes, & laudes humanas ſupereminenti, nihil poſſe addi, quô illuſtretur. At Nomen hoc terris circumferri amat, & mônſtrari in vaſis electis. Cur non vaſa huic portando Nomini elaboramus, impendiô etiam omnium, quæ accepimus? Tam illa, quibus ad intrà ditati ſumus: quàm ea, quæ nobis circumpoſita ſunt bona, materiam, capacitatem, & elegantiam dare poſſunt vaſi huic, cui ſe Divinum Chriſti nomen infundat, gentibus præſentandum. Cur igitur in vaſa contumeliæ, & teſtas, quibus infernæ deferantur prunæ, formari potiùs malumus? Non movet nos ea felicitas, quæ gentium Apoſtolo fuit maxima, ut Chriſtus dicat: *Vas electionis eſt mihi iſte,*

iste, ut portet Nomen meum coram gentibus. Act. 9. v. 15. In nostrum quidem bonum etiam cedit, quòd in vasa honoris efformati, consecramur ferendo Nomini; quod creaturæ omnes adorant: sed tanquam propriam ex commodis nostris hanc partem, Christus sibi seposuit. Cur igitur de hac saltèm non participet? Postquam ex ejus dignitate omnia habemus. Petitiones nostræ nummi nostri sunt, quibus à cœlo omnia emimus: sed his pretium est totum, ab impressa CHRISTI imagine, & nomine. Non libellos tantùm suplices DEO porrigimus orando, sed diplomata, quibus sigillum Christi nominis, valorem à Patre cognoscendum concessit. Sæpe exigui agelli donatio, ut nomine subscripto Principis terreni, & sigillô appresô robur habeat, quantis impensis quæritur! Nobis sigillô Christi nominis, insigniuntur omnia, quibus fovemur, & insigniri debet vita universa: cur exili saltèm munere, sigilli munus non rependimus?

Si quid petiêritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

PRomiſſione hac Chriſti, non ad ſingulare quodcunque beneficium fit aditus; ſed totius communicabilitatis Divinæ, admovetur nobis æquor, quod, ſicut limitibus nullis arctatur, ità & noſtris deſiderijs non ponitur meta, non numerus accipiendorum deſignatur, non certa tantitas præſcribitur, non tempus, ad quod ſe extendat hoc jus conſequendi petita, præfigitur. Excipitur nihil modificatione, aut conditione oppoſita reſtringitur. In quàm duram ſervitutem ſe carni, & mundo addicit improvida mens hominum! ut fameſcentes ſemper cupiditates expleant! Idque totum pretium eſt, mancipatus. Hiant tamen, & eſurie diſtenduntur aridæ fauces, quòd exiles, & intra palatum areſcentes ſectentur ſtillas! Hìc ad fontem perennem, imò Oceanum DivinæBonitatis ſe nobis infundere paratæ, deducit nos ſponſione Chriſti erecta oratio. Minimè nobis neceſſe, ùt ſtulta gentilium crediderat vanitas, aromatum fumo urgere Jovem, ut honori faveat: Martem ſangvine

gvine placare, ut ſpolijs ditet: conciliare probris Venerem, ut amores proſperet: fortunam Deam fingere, & ultimis demereri obſequijs, ut ſe prehendi, & detineri ſinat. In his cognitionibus, & ſtudijs, proh dolor! Chriſti nomine inſigniti, vires, ingenia, vitam conterunt, cùm ægris deſiderijs ad manum ſint remedia, quæ non multitudine confuſa, non arduitate inacceſſa, ſed unica oratione continentur: favore Divino, & in amicitiam uſque provehente gratia, ſi foveri cupimus; petentibus affluet vitæ diuturnitas, & incolumitas ſanitatis: proſperitas bonorum, quæ vitam ſuſtentent, & commoditatibus, ac hilaritatis perfundant copiâ: fortunata conjugia, fæcundi thalami, fluctuantium per incerta deſideria, felix in portum voluntatis appulſus, & quæcunque appetentiam hominum exercent: quæruntur alibi in caſſum, in oratione tenentur. Petite, inquit Chriſtus, quidquid ſuggeſſerit ratio, habebitis: in nomine tamen JESU petendum eſt, hoc eſt: in nomine Salvatoris: eôque titulô expunguntur à petendorum ſerie, quæcunque contra rationem ſalutis noſtræ eſſent, ſi darentur. Ut efficaciam

ciam oratio habeat; prosterni nos convenit suplices, sed non extra conspectum Patris, non Christi tantùm, sed & nostri: adjungamus interpellans pro nobis nomen Unigeniti: explicet petitio nostra necessitates, quæ nos premunt; fiduciam petendi faciet cogitatum nomen Patris: evincet nomen JESU, ut, quæ majora nostris meritis, imò demeritis speranda minimè sunt, sed infinitæ dignitati Filij Divini debita; tanquam laborum, & fusi sangvinis emptum pretiô, exsolvantur, & in sinum nostrum congerantur.

Pro eadem Dominica.

Veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Joan. 16. v. 28.

NUlli magìs convenire videbatur à mundo non discedere, quàm Creatori mundi. Quæ in mundo ipsum detinerent, erant sanè quàm plurima, & considerationis non postremæ. Effusa olim ab Omnipotentiæ creantis Verbo in creaturas pulchritudo oculum Creatoris detinuit: meruítque illam

lam proclamationem honorificam : *Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Gen. 1. v. 31.* Nec minùs est scita, & elegantiarum fæcunda DEI conservantis, quàm creantis manus: non minùs suis, quæ infinita descripsit Sapientia, ponderibus, numeris, legibus admensurantur omnia. Non minùs siderum cursus, noctium, dierum, & anni crescentis, & in se desinentis vicissitudines fluunt, & juxta DEI promittentis phrasim, non requiescunt: non pauciora etiam nunc, superexaltantis judicia misericordiæ, spectacula indulgentur mundo, & sæpe obdormiscere creditæ justitiæ, in impios exempla. Providentiæ oculatissimæ, per errorum, & cupiditatum humanarum devia, rectissimè ad suos pergentis fines, itinera: voluntatis infrustrabilis edicta, impugnata rebelli licentiâ, & inter contumacias obstinatæ mentis asserta, & impleta: hæ sunt, florum vice pingentes faciem universi varietates, hæc soli, qui effecit, nota artificia: delectare proinde spectantem Christum poterant, & mora longiore itineris defigere. Sed hæc cogitatione, & oculis percurrere, quacunque universi parte

te poſitus poterat Chriſtus: alium igitur deſerere, & relinquere mundum parabat, cùm hæc dixit: *Relinquo mundum.* Illum ſcilicet, qui vitam circumdat noſtram, turbam ſenſuum non rationem ſectantium: qui ſuper vanitatis fundamento, in molem, aut chaos potiùs coaleſcit; quem non pudor, non nefas, & decus compaginat, ſed ſuâ reregulâ definit ambitio: ſuâ libellat amuſſi invidia; ſua incumbens acerbitate pro pondere, compingit avaritia: hoc mundo æſtuante, circumfundimur, nolimus, velimus ſalo, ex quo amiſſa ſecuritatis primogeniæ rate, ad naufragorum conditionem redimus; hunc Chriſtus ad Patrem iturus linquebat mundum: nos quidem huic fluctui aſſueti, amaritudinem non ſentimus; etiam infundente ſe viſceribus nauſea: imò cupiditate ora diducimus, quò profundiùs abyſsô hâc glutiamur. At Chriſti ad cœleſtes delicias eruditus palatus, nullâ mendaciorum eſcâ obliniri poterat, ut non aſpidum inſanabile ſentiret ſub adipatis mundi. Circumfremebant Oceani hujus tumentes fluctus incarnato DEO, ſed ſitim nec faciebant, nec mulcebant, cum nauſea repellerenren-

rentur. Conditione quidem mortali, ad quam ſe demiſit, fiebat; ut cæleſtis ille animus, ſimile corporibus noſtris, plaſma indueret: at nunquam, ut ſub elementis hujus mundi animô eſſet, ſuſtinuit. Videbat elementorum horum, juratum in probitatem ardere bellum, neque tamen illud indecorô pactô conſenſit evadere, aut inducijs ſuſpendere; imò progreſſa in ſe mundi odia, velut patrimonium ad ſucceſſores Apoſtolos, tranſire voluit. *Si mundus*, inquit, *vos odit, - - me priorem vobis odiô habuit. Joan. 15. v. 18.* Non igitur illarum arbuſcularum idioma ab ore Chriſti quiſpiam audit: Non poſſum deſerere pingvedinem meam: non poſſum deſerere dulcedinē meam: illud potiùs audiebatur: *Oleum peccatoris non impingvet caput meum. Pſ. 14. v. 5.* Vindemiæ dolorum, & ſangvinei torcularis Chriſto prægustus erat, uva fellis, & botri amariſſimi: nulla igitur difficultas morabatur abitum Chriſti à tot inſuavitatibus. Nos, cùm extremum vitæ admonet migrandum eſſe à mundo, O! quàm reluctante paſſu ad metam hanc adveniemus! Detinet miſeræ alicujus creaturæ ſpecies, in qua nihil præter Divi-

næ manus artẽ ſpectare debuimus. Lapſantem implicat greſſum pingvedo, quæ manus, & affectum inquinavit: compedit ſuo viſco dulcedo, à qua per mortem extrahi, multis morte ipſa acerbiùs eſt. Quibus lamentis, & ſingultibus miſcetur dolor, cùm ad æternitatis confinium, quod eſt viæ, & vitæ ultimum, deduxerit: ſola tamen etiam tunc inanitas deſeritur, & una ſub nominum diverſitate vanitas. Pauciſſimos invenias, quos illa admonitio Apoſtoli non percellat, & non contriſtet. *Fratres, nolite diligere mundum. 1. Joan. c. 2. v. 15.* Amorem certè noſtrum ſperare non poteſt mundus, qui noſtri nullum habet. Continua ſuccedentium ſibi viciſſitudo propellit vitam ad exitum: quæcunque captamus bona, inter manus diffluunt: quæ tamen uſu retinere non poſſumus, amore ſtulto ſequimur. Nè à mundo quidem diſcimus, ut deſerentem nos, deſeramus: ut tractantem contemptiſſimè, pariter tractemus. A noſtro errore, imò inſania, pretium hactenus mundus habuit. Nè diſcipuli quidem mundi, & qui hunc aut amare, aut commendare laborârunt impenſiùs, magnum illi ſta-

tuere

tuere pretium ausi sunt. Nabuchodonosori tot bellis partum imperium Asiæ, Herodi Regnum Judææ tot sceleribus assertum, & conservatum, mundus fuit. Babylonis tamen monarcha, tertiam sui dominij, hoc est, sui mundi partem uni addicit somnio. Tertia suæ ditionis parte, saltum redimere nō magnum putat Palæstinæ Tyrannus, tentator dæmon unam adorantis inclinationem, totius mundi donô præmiare promittit. Hæc certè mancipatorum mundo, aut fœdere innexorum confessio sufficeret ad nostra corrigenda judicia, ad errores amoris nostri convincendos, reducendúmque, quem mundi fascinus non admittebat, pudorem. Heu! quantam vilitatem, quantam complectimur, dissuaviamus deformitatem! Non exiguô commodô nostrô fiet, si repetamus indesinenter, & memoriæ inculcemus Christi verba : *Veni in mundum*, relinquam quandoque mundum : sed heu! incertus sum qua die, horâ, & momentô indicetur mihi emigratio! CHRISTUM à mundo abeuntem cœlum, me quis locus, quæ sors excipiet?

Veni

Veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

BArbaram inhumanitatem mundi consideremus: Intelligebat discedere à se Christum, audiebat edicentem migrationem suam, nihil tamen movetur, tanti jacturâ boni, imò si non voce, murmure saltèm, & averso vultu, sua videbatur loqui fastidia: perge, & te, quò libuit, aufer: inhibendum tibi prece nostra iter, nè cogita: Eliam à se abiturum suspicatus Elisæus; scimus, quàm solicitè retinere voluit; adhærebat translationem suam celanti, quocunque se vertisset: amandare quoque à se conantem, constante sequebatur passu: ac demum jam equis igneis, & curru dividente se à Magistro, imò sublato jam in currum Elia, & per ætherem in sublime abeunte, exclamabat, qua potuit contentione: *Pater mi, Pater mi,* 4. *Reg. c. 2. v.* 12. Observabat bene precantis ex alto manum, & vultum, spiritúmque duplicem appromissum exspectabat, Diversissimus omnino fuit mundi, & ejus sequacium affectus erga Christum, ùt primò in terras venienti, nemo

mo horum veneraturus, nemo salutaturus occurrit; ità abeuntem pari oblivione, & contemptu abscedere sinebant: imò non votis tantùm, & odijs, sed improperijs quoque ad festinandum urgebant abitum. At quanta comoda ex præsente Christo affluebant mundo, tanta necesse fuit ex abeunte succedere detrimenta. Nesciebant haud dubiè cum Christo abscessurum DEUM, aut saltèm faciem Patris avertendam, quam ad Christum converterat, eáque occasione felicem mundum fecerat, ut paternis DEI oculis spectaretur. Emigrat à mundo DEUS migrante Christo; non ità quidem, ut ingratorum injuriæ, diffusum per omnia Numen, pellant locô, cùm in ipso vivamus, moveamur, & simus: at satìs pœnarum est, si se ad amicitiæ quoque demittens familiaritatem Divina Bonitas, si tolerantia toties repetitorum scelerum, si exspectans intervalla culparum vacua in delinquentibus misericordia, si peculiaris Divinæ providentiæ benignitas mundum deserat. Quanta hæc mundi insania, quâ in eum stuporem duratur, ut tantum sensum malorum expunxerit. Non dereliquerat Davidem DEUS,

aliò tantùm nonnihil obtutũ avertit, ſui tamen, velut impos, in dolore exclamat: *Avertiſti faciem tuam, & factus ſum conturbatus. Pſal. 29. v. 8.* O! quicunque per mundi ſemitas ſtulto reptatis amore, & vanitatum fugientium veſtigia lambendo, tenere vos creditis: abunde jam ſtultitiarum, abunde veſtrarum contumeliarum eſt. Faciliùs tenebitis Chriſtum, nè abeat; nè vobis evaneſcat; legite è vicino, & non obterite contemptu, & levitate, aſcendentis ad Patrem notas. Magno, & triumphali paſſu dimenſum iter, ſignatum victoris ſangvine, non terreat, ſed ad ſuccedendum accendat. Hoc exclamat Chriſtus: abeo ad Patrem, mundum deſero. Hinc mundus inter veſtros effluens amplexus, ſubmurmurat invitus: quòd inquinet, quòd fallat, quòd deficiat. Chriſtúmne mundi gratiâ, an mundum amore Chriſti deſeremns? At tergum Chriſto vertere, extrema barbaries, ingratitudo,& perfidia eſt. Mundum, etiam prenſantem, calce repellere, imò proterere generoſa magnanimitas, & heroicus, quô Chriſtum conſequamur, paſſus eſt. Ad Patrem DEUM, nisì per proculcatum mundum,

dum, non aſcenditur, ſi mundo inhæres, O! homo, extra DEUM non es, ſed Judicem, non Patrem invenies; quæret ille judicialiter, tantíne apud vos fuit mundus, ut illius amicitiam, imò ſervitutem per Chriſtum ejuratum, vel quod idem eſt, contemptum, pararetis. Improperabit alijs, quod mundo reconciliari, poſt juratas inimicitias, modis infamibus quæſiêrint: quòd dicti Chriſto ſacramenti pertæſi, cum hoſte crucis Chriſti conſpiraverint,& quem à corde, imò à cogitatione etiam proſcribere debuerant; in dicatũ Deo penetrale admiſerint. Conciliare ſe nonnulli poſſe hæc putant: ut & Deum habeant Patrem, & mundum amicum. Mundúmne Patrem habituri, ſi à DEO abdicari meruerint. At hic non hæreditatem parat, ſed ſpolia de nobis quærit. Paterni affectûs documentum, polymitam veſtem detrahere novit: in ſtagnantem cœnô ciſternam, Patri amatum novit Joſephum compingere: artem callet, quâ Iſmaëlitis in ſervitutem vendat ingenuos; blandiri, non amare poteſt. Immensô beneficiorum pretiô conſtamus DEO: cùm noſtri non ſimus juris, addicere nos non poſſumus alteri. Et

licèt mundus ſuos Iſmaëlitas, & Iſmaëlitidas identidem ſubmittit ad nundinas; hi tamen plagiarij mangones licitare nos poſſunt; emere, niſì venales nos fecerimus, non poſſunt.

Veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

REperire eſt plurimos, quibus vix perſuadeas, quòd ea in mundum lege venerint, ut abeant. Spectant innumeros hinc emigrantes quotidie: ab hac tamen eximi neceſſitate, etiamſi non ſperent, differri ſaltèm in longum ſuſpirant. Quantum his levamentum ſollicitudinum eſſet, ſi volubilitate ſua tranſeuntem mundum, affectu priùs deſererent, quàm ex illo, inviti obtorto trahantur collo: ſed viſco captivarum avicularum inſtar, lento alij ungvine impactas pennas, fruſtra conantur expedire ſenſuali oblectatione vinciente mentem: alij avaritiæ ungves protendunt in prædam, & compedem inveniunt, volatúſque obliti hærent. Plurimi plena inanitatis oſtentatione, jactant ſe ad Patrem velle ire; mundo nuntium remittere: ſed vel mediocrem,

ad

ad se invitantis mundi nutum, veluti legem complectuntur, quâ se in servitutem mundo donant. Non paucis nè injuriæ quidem, quas non parca manu congeminat mundus, persuadent odium vanitatis: per fastidia, per repulsas, improperijs, & convitijs asperiores, perrumpere non cessant: ut toties fugacem, & ludentem fortunam prehendant. Non minore plerique annorum tractu, aulæ obsident limina indefessa statione, quam sua abrupta specûs obtinuit Hilarion, nec plures, nec cruentas magìs de suo corpore Anachoretæ hostias litârunt pœnitentiæ, quàm aularum asseclæ, improbæ speï immolârunt curarum sanitatis, & vitæ toties tabescentis, imò elixæ vitæ hecatombes. Non comparanda tamen sorte veteranorum Asceseos, quorum melotes, & detrita in attenuanda carne cilicia, atque etiã vestigia, quæ rupibus asperis excubitores pro cœlo impresserunt. Cavernas, quæ planctibus illorum insonuerunt, agnoscit memoria, & cultus posterarum ætatum. Militantium mundo nomen, & memoria cum sonitu periêrunt. Et famam, & famæ captatores difflavit aura: felicitatem mun-

danam complures procantur, & nubſiſſe ſibi credunt, æternóſque hos nexus volunt: ſed refundet hos momentô, divortium mors factura. Retinebant ſua horrea, & granaria divitem Evangelicum, ſed non retinuerunt guſtui, & continuandis regalibus epulis: immerſus Balthaſar in centro quietis videbatur eſſe, apparentes tamen ſupra parietem digiti, moverunt locô, & reſtitantem eduxerunt. Relinquamus mundum, relinquendi ab illo ſequamur Chriſtum, prenſantes amplexibus veſtigia, quibus ad Patrem itur.

Dominica VI. poſt Paſcha.

Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis. - - Ille teſtimonium perhibebit de me, Joan. 15. v. 26.

MUlti ambitioſa inquietudine vexantur, dum intelligunt deſtinari à Chriſto legatos, qui propenſiſſimam illius voluntatem in mundum explicent. Se quiſque vellet in hoc cenſeri ordine, hac innoteſcere dignitate. Utinam verò, quemadmodum

mu-

muneris splendorem intelligunt, ità recognoscant, an habiles tanto oneri sint futuri. Ad verecundiam nobilissimæ functionis, vel obliviosos revocabit competitores, si meminerint, ad exequendum mandata cœlestia, promissum à Patre Divinum Spiritum venire. Administratam, & perfectam per Christum salutem, nemo meliùs humano generi nuntiare poterat, quàm Paraclitus, qui simul est Spiritus Veritatis. Hic præstantiam donorum, æternitati nos despondentium novit: mundus eam intelligere non potest, nisì explicante, & ob oculos ponente Spiritu: neque eloqui aptè unus alius, & fidem invenire dictis potest, dum humanis majora votis affert. Nisì Spiritus sit veritatis, vagata per corporum formas, & ad sensibilium mensuram exigens beatitudinem humana cogitatio: quod nisì ignavum, vel deforme effinxerit? Quid nisì ea suggerat, quæ cum brutis nos confundunt, & per defluxum vanescentium oblectationum circumferri quaquà versùs appetitiones faciat, & nullibi consistere: Spiritus igitur est, qui ad dignam animo im̃ortali prosperitatem, audientes erigere potest, & ac-

 cen-

cendere. Ultra creata mente, & desideriô eniti, qui unquam docuerunt sensus? Quæ expressit species DEUM, nisì quam formare didicimus ex ijs, quæ ex terra, vel elementorum mistione concreverunt? Esse centrum in quod tendimus, præter bonorum præsentium turbam: esse portum, in quem à jactatione, & naufragijs anxias spes recipimus, ubi æquoris perfidiam, procellarum ridemus furorem; à quo, nisì à Spiritu legatione Divina functo accipiemus certiùs? Neque enim, quidquid caro, & sangvis revelat, aliò spectat, quàm ut calamitates nostræ obscuritate tegantur, & augeantur: quæ à carne discimus, & sangvine, non alia sunt, quam corruptionum exempla. Spiritui igitur auscultandum, cùm legatione fungitur. Sed cùm de Christo quæritur, potissimùm nec legationes, nec testimonia à corpore admittenda: aut indigna, aut blasphema audiet, qui alium accedere patietur internuntium, præter Spiritum veritatis: sed neque de Christo deponere testimonia præsumat, nisì comitem habeat, imò imbibat Spiritum veritatis. Amamus indubiè Christi testes esse, & agnosci, amemus Spiritum veritatis.

Hor-

Horret os mendax, veritas, polluíque se credit, & infamari, si lingva menti difformis, audientibus fastidium, & contemptum ingerit, etiam cùm enuntiat certissima.

Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis á Patre, Spiritum veritatis. - - Ille testimonium perhibebit de me.

NOn titulum inanem, legationis sub nomine voluit adhærere Christus Divino Spiritui, quem in terras misit. Non pompam futilem, non otium permittebat hoc munus: sed ùt primùm illapsu, & lumine sacri ignis mundum attigisset, circumferendus per urbes, per domos fuit, & impetus caloris cœlestis, & sonitus vocalis, ex quo disceretur adesse Divinorum influentiam donorum, adesse redemptionis Christi pretium, quô terra ditata, vilitatis suæ ignominiam agnosceret, & exueret. Ignis potiùs, quàm veritatis Spiritus desidem torporem sustinet. Verum se probat, si agit, si lentescit suspectum. Nè credideris veritatis Spiritum diversari in ore, quod nec in mendacia, nec in testimonium veritati vult resol-

vi. Captiva profectò veritas est, & compedita, quæ in vocem exire non permittitur. In cognoscendo Divina Veritas, tota intrà intellectum est, quæ in dicendo est, ad extra nobis tantùm nota. Ut testetur Spiritus veritatis, venit. Mutum ergo testem volumus, si intra silentium compingimus veritatem, quæ promulgari debebat.

Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis. - - Ille testimonium perhibebit de me.

NOn à Christo solo in sua missus causa Spiritus veritatis, ut illi testis adesset: eandem suam, quæ filij fuit, causam Pater cùm sciret, suo quoque nomine testem immisit mundo. Multiplici, & promptô testimoniô, Spiritus veritatis defungi pro Christo consuevit: ídque illi operum jucundissimum. Sed non eadem promptitudine illis officium impendere paratus, quibus mendaciorum patrocinia ex consuetudine. Veritate nonnisì fulcitur veritas, mendacia, si se veritati applicant, ruunt evidentiùs. Quàm securus ille est, qui ità compo-

posuit vitam, ut apud insensissimum quoque tribunal, testimonium illi veritas non excuset.

In eadem verba.

UT non in unum redacta singularitatis individuum ministra Divinæ Majestatis, Geniorum cœlestium, quos Angelos dicimus, natura: legiones enim plures ex his compositas Christus Petro asseruit: ità nè Spiritus quidem illi, quos in testimonium Christo venire audivimus, pluralitatis sunt expertes. Alium cognoscit Apostolus Spiritum intelligentiæ, alium scientiæ, benignitatis alium, consilij quoque, & timoris Domini Spiritum recenset. Quid tamen est, quod nõ his promiscuè Spiritibus omnibus injungitur, ut testimonium CHRISTO perhibeant: sed huic eligitur muneri Spiritus veritatis. Alia scilicet unicuique Spirituum, quos memoramus, sphæra est: Spiritui veritatis testari, ità appositum est, ut aliorum testimonia vix inveniant fidem, nisì in solo, & intra limites veritatis. Instituere, & suggerere lumen potest, & solet Spiritus sapientiæ: certa ratione stabilire an-

anxios, ſi recurrant ad ſe, novit Spiritus conſilij. Benignitatis, & ſcientiæ Spiritus, nec ſe omnibus acceſſos faciunt, & ſæpe humanis reſpectibus non inacceſſi; proinde, ad deponendum teſtimonium non ſemper expediti. Res noſtra agitur, ut familiarem nobis, & cultum ſingulariter, habeamus Spiritum veriratis.

In eadem verba.

FIlius DEI Chriſtus legationem ad mundum ſic ordinavit, ut Spiritus veritatis ſimul Paraclitus, & conſolator eſſet: nec teſtimonia tantùm afferret, ſed & ſolatia. Plurimúmque intererat iſta conjungi: imperiô Chriſti ſubigere mundum, hæc legatio Divini Spiritûs intendebat. Etiamſi verò evidentiſſimis teſtimonijs convincatur ratio, nondum voluntas, penes quam arbitrium eſt, imperium accipit: ſed ſuavibus non reluctatur vinculis, imò ſe his ultrò induit. Sic teſtimonia non inania ſunt, nec odioſa, ſi cum ſolatiorum veniant comitatu. Perſuadet veritas omnia, ſi ità ſe temperet, nè ſit exoſa. Ducit, quò libuit, animos orator ille, qui non vehementiam tantùm

tùm exerit, ut veritatem proponat: ſic enim illam projiciet potiùs, quàm collocabit; ſed etiam tam dextrè afferat, ut non allidat. Multi ſunt, qui veritatem falcato veluti curru provehunt, & accedere paratos repellunt metu vulnerum, quibus ſe credunt viam illi aperire. Sanare vulnera, nisì ſcindendo, neſciunt, & hinc infamant remedia: cùm congenita mollities illorum, qui nonnisì ſuavitatis ſenſum ferunt, malit potiùs morbos, quàm medicamina ſuſtinere. Ut altiùs penetret veritas acumen illi, & polituræ lævor, non craſſamen inducendum: penetrantior tamen eſt, ſi ſuavitate condiatur; hoc eſt: ſi à Paraclito veritas veniat, à quo nec monente, nec objurgante ſentitur aſperitas.

In eadem verba.

ALiter fieri non potuit, nisì ut Spiritus veritatis, Paraclitus ſimul, & conſolator eſſet: quòd & à Patre miſſum ſciamus, & ab eodem procedentem. Spiritus, quantumcunque veritatis ſit, ſi non à Patre proceſſerit, pro Chriſto teſtimonium dicere non poteſt. Paternæ impreſſionis, & affectûs

ctûs veſtigia habeat veritas, ſi aſſenſu, & amore excipi optat, non faſtidiô. Induimus ſæpe veridicorum perſonam: ſed videndum, an Patris nomen, & amorem in eos, quos admonemus, induamus. Nihil eſt faciliùs, quàm gravitatem paternam in adhortando imitari: ſed correptio caſtigatos non corrigit, ſi vitricum retegit, non Parentem.

Pro eadem Dominica.

Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. Joan. 15. v. 26. & 27.

QUantâ, & injuriâ, & contumeliâ, ingratus mundus afficit Filium DEI! Per annorum triginta curriculum, innocentiſſimæ, & ſalutaris generi humano vitæ: reddebat mortuis vitam: calamitates, morbóſque depellebat nutu: miraculorum frequentia, & magnitudo ſibi obſequentem oſtendebat naturam: fidem tamen non invenit, & in Iſraële, & in mundi parte potiſſima. Quódque atrociorem ignominiam fa-

facit, nullô suô demeritô, tam aversos expertus est. Non verbo, aut facto illius falsitatis umbra adhæsit; non fraude circumduxit aliquem: suavitate sermones, benignitate convictum, familiaritatem candore condiebat; nunquam non stetit promissis: nihílque, quod verbi illius pondus imminueret, vel detraheret, fuit: obstinatos tamen ad credendum ità habuit, ut ad testimonia provocandum esset. Producta coram oculis, & sensibus miraculorum portenta, nihilominus, qui animos convinceret, testis Spiritus Divinus adductus est. Nobis si non expeditè credatur; si suspicionum umbræ fidem apud alios nostram obscurant; si criminatio iniqua probri insimulet; si convitia nobis probrum allinunt, quod malignitas sua fuligine effinxit; quanto nos ardore regerimus, & non testimonijs, sed remissis in authorem contumelijs quærimus vindicari: aut saltèm admisso in profundum doloris sensu, offensam condimus, obliviscimúrque ad illud nos revocare solatium, quòd Christus quoque non omnino felix apud homines fuit, testimoniísque, & testibus eguit.

Ille

Ille testimouium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.

IN testimonium sibi Christus adlegit Spiritum veritatis, & suos Apostolos: ipsóque factô ostendit, quòd nec Spiritu veritatis, nec Apostolicô vacuus esse debet testis Christi. Apostolum nisì tolerantia perfecerit, vix eo nomine dignum puta. Negat se Christum nôsse impatientia: si crux, quæ tolerantiæ character, non insignit Apostolum, si asperius verbum excipitur irâ, si in molestiam obviam prompta exeritur indignatio: quæ fides esse potest, hunc laturum constanter vulnera, necessariò ad testimonium requisita, quem dictorum aculei prosternunt. In securo est Christi gloria; nec eget, ut nostræ tolerantiæ attollatur testimoniô: sed nobis gloriosum est, si in testes cooptamur. Parum quoque interest, quòd prosit, vel non prosit cuipiam nostra, adversùs injurias, æquanimitas: si nobis lucrosa, paréfque meritorum, & gloriæ proventus elaborat.

Ille

Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.

Minimè ambitiosè laboravit Christus, ut testes haberet. Non fora, & vicos Jerosolymæ concursando prensabat, quos paratos testimoniô ad manum haberet: non alliciebat promissîs, nō emebat muneribûs: abunde illi fuit, Spiritū veritatis pro se stare. In Apostolicum quoque cœtum, non splendidos opibûs, aut mundi sapientiâ conspicuos adlegit; sed de vulgo illiteratos, & qui ætatē, nassam inter, & naviculam triverant, piscatores, his de se testandi commisit munus. Conditionis certè vilitas non demit pondus verbis, quæ firmat veritas. Eloquentiæ ornatus, & Philosophiæ subtilitas in teste impertinens: nec qui acutiùs, aut splendidiùs dixit, fidem meretur. Non infeliciter quidem mancipati literis, stringunt calamos, ut voluminibûs elaboratîs pro Christo exarent testimonium: sed nō obscuriùs testantur rudissimi etiam, si inscriptum pro Christo sangvine, & vulneribûs, propriū corpus pro libro exhibent. Paucissimi Apostolorum, & non plurima scripse-

runt; ſed in ſimplicitate integerrima, maximíſque laboribûs, & operibûs illuſtres, attenuati inediâ, omnium penuriâ attriti: anguſtiati inter carcerum ſqualores, inclaruerunt ærumnîs; hæ illos in Apoſtolos, & Chriſti teſtes initiârunt. Quæcunque eruditio noſtra, ſapientiáque fuerit, nè ſibi tantum tribuat, ut eam apud DEUM, & homines mereatur fidem, quam tulit Apoſtolorum prudentiſſima ſimplicitas. Quid igitur anguntur illi, quibus doctrinæ, & ſapientiæ parciùs dona contigerunt: ſi per ſimplicitatem id poſſunt conſequi, ut non teſtimoniô tantùm bonæ conſcientiæ gaudeant, ſed & Chriſti famulatui addicti, teſtes illius eſſe poſſint.

Pro eadem Dominica.

Hæc dixi vobis, ut non ſcandalizemini. Joan. 16. v. 1.

QUa ſolicitudine, & curâ CHRISTUS obviam iverit, nè Diſcipuli ſui ingruentibus periculorum adverſis ſuccumberent, in aperto eſt. Periculum erat, ut nè identidem cogitarent, vel inter ſe muſſarent, Quæ iſta eſt noſtræ fidelitatis, quâ Chriſto adhæ-

adhæsimus, fortuna? Certatim impetimur toto conspirante mundo; illúdne nostri Messiæ regnum, cui pro tributo, contumeliæ, pro obsequio, odia penduntur? Sequacibus illius pro stipendio, adnumerantur probra, minæ, terrores, exilia pro commeatu; pro meritorum præmijs, & quiete, indeficiens vicissitudo calamitatum, & continua malorum porrecta. His nè agitarentur inquietudinibus, occurrit Salvator, præmisso Consolatore, & veritatis Doctore, Spiritu Divino, qui verè, & meritò fugienda ostenderet, inter molestiarum turbam, qui anxietates leniret, & fluctuantem, inter plurima perplexa mentem componeret, qui erudiret, ut contradicentibus innocentiam, & firmitatem pectoris opponerent: hôc modô superiores procellîs effecit suos Christus, quia non imparatos objecit. Sic Apostolis nullæ contigerunt difficultates formidandæ, quin nullæ fuerunt novæ: pertractârunt illas priùs meditatione, quàm fortitudine, & æquanimitate frangerent. Nobis intoleranda videntur omnia, & funesti eventus; quia, ùt plurimùm incidunt, non prævisi. Succumbimus etiam levioribus

ribus incurſibus, quia non vires ante, non prudentiam colligimus.

Hæc dixi vobis, ut non ſcandalizemini.

SOliditas Apoſtolici Spiritûs inde apparet. Tot illis prædicta perſecutionum genera, præmonſtrati perſecutionum gladij in cervicibus illorum hebetandi, tingenda ſangvine illorum fora: deterendæ catenîs manus, arctanda carceribûs corpora, & tanquam hæc voluptatum fuiſſent, non cruciatuum promiſſa, ad accendendam alacritatem, non ad horrorem ciendum valuerunt. Expectabantur calamitates, velut calamitatum præmia, ſufficiebátque ad excludendos timores ſcire, quàm horrenda Chriſto authoratos manerent. Hoc remedium ſuis reliquit Dominus, nè ſcandalizentur. Facile ſcilicet erat, nè ſingulis crederent, ſi ſe in atrociſſima omnia obfirmâſſent. His animis, ille reliquus videbatur timor, nè deeſſent aliqua, quæ tolerarent. Quàm procul ab hac Apoſtolici firmitate pectoris, noſtra diſtat ignavia, quam non certò ſecutura, ſed ſæpè non probabilia incommoda expugnant!

Hæc

Hæc dixi vobis, ut non scandalizemini.

PErsecutorum in Discipulos Christi odia, hoc intendebant, ut in latebras cum sua luce abigerent Evangelium, quod circumferre ex officio per orbem tenebantur. Volebant ora prædicantium obturare, nè verbum salutis ab illis emanaret. Nè Synagogis verũ scripturarum sensum inferrent, ut Apostolos se Christi obliviscerentur, & dici timerent. Hæc omnia uno illo scandali nomine comprehensa fuerunt, à quo, ut caverent, Discipulos Christus monebat. si enim interiùs, vel minimum labaret, aut dubiô titubaret constantia Apostolica, facilis esset descensus in ista transfugarum dedecora, nec admodum tutæ sunt custodiæ, quas ori, & externis sensibus apponimus, nisì cor, & interiora munîerimus. Nè scandalo paterent Apostoli, magnum sibi pestis istius circumdederant horrorem. Nobis funesta securiras non aditum tantùm dat in nos scandalis, sed & diutiùs diversari concedit. Prodeunt à nobis deinde, & lucem incestant hæc monstra, fitque consequenter, ut, quæ accepimus, reddamus,

& quæ intra nos ab alijs admiſſa fovimus, & educavimus portenta, in publicum ad plurium exitium propellamus: horrificum illud væ, & molam aſinariam non veriti, quam Chriſtus ſcandalum dantibus comminatus eſt. Rogemus humiliter DEUM, ut ea nobis loquatur, quibus ſcandala procul amoveantur.

Dominica Pentecoſtes.

Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat. Joan. c. 14. v. 27.

COnſiderandum occurrit maximi momenti donum, nec ullô ſatìs taxatum pretiô, nempe pax data, & modus eam dandi. Quanta ſignificatione animi, & alacritate pacem excipi par erat, etiamſi eæ commendationes, quæ adjectæ ſunt muneri huic, non acceſſiſſent. Quæ vota non implentur, ſi pace fruamur ſtabili! Quòd ſi pax ea Chriſti ſit, ùt de facto eſt: *Pacem meam do vobis*, inquit ille. Modus quoque dandi, liberalitatis Chriſti magnitudinem exaggerat. Advertere monet animum Diſcipulos Salvator, quòd non eô, quô mundus conſuevit modô, pacem dat illis. Jactat ſe

dare

dare mundus his, quos ſubjugavit, pacem: ſed hæc inter accipientium manus evaneſcit. Chriſtus ità dat pacem, ut eam relinquat, & tranquillitas, quam infundit, non fulguris inſtar accenſa videri deſinit, ſed quantum in dante fuit, apud accipientes perſeveravit. Non doni tantùm, verùm etiã largientis animi diverſitas expendi debet; magnam emphaſimChriſti dicta continent: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Inclinat ſcilicet Chriſtum ad dandum paternus amor, manum, & cor ad porrigenda aperit munera ardens ſtudium, quô urgetur, ut ſe effundat, & de ſua plenitudine faciat nos felices: illúmne donandi modum in mundi muneribus obſervaverit quiſquam? Quis ſibi illum in mundo affectum, etiam cùm benevolentiſſimus videtur, promiſerit? Non pacem tantùm, ſi illius mortalis vita capax eſt, ſed & ſingula, quibus fruimur, bona, à benigniſſimi DEI habemus manu: à mundo nobis vanitatum ludibria pro munere ſubjiciuntur, mundus, ut fallat; DEUS liberalis eſt, ut per temporalium bonorum uſum, nos ad vera, & æterna bona paret. Hinc diſcernere non arduum eſt, an idem

modus ſit, quô mundus, & quô DEUS pacem confert. Qualis mundus, talis & modus dandi: mundus fallax, fallax & modus dandi.

Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat.

CErtum eſt, nec mundo, nec Spiritui Divino deeſſe Diſcipulos: pacem uterque impertit ſuis, ſed nec pax utriusque, nec hujus tribuendæ modus, habent quidquam ſimile. Ea pax à DEO Spiritu infuſa Apoſtolis fuit, ut quanquam capita ſingulorum, flamma cœleſtis lamberet, quanquam ſacro igne flagrarent lingvæ, replevit ſonitus, & Spiritus venientis impetus triclinium, in quo continebantur Apoſtoli, & muſtô pleni ad ſpectandum accurrentibus videbantur, altiſſima tamen pace fruebatur contubernium ſacrum, & turbulentum nihil, aut præceps, aut in diſſidium inclinans obſervatum eſt. Ad mundi diſcipulos, ſi ignis divertat, ſi eorum ambitionis radijs, & æſtu involvat capita, ſi iræ, & æmulationum fervor pectus aduſſerit, & in lingvas ſe protulerit; quantus loquacitatis complet omnia ſtre-

ſtrepitus! Quanta jactantiæ intemperies! Convitiorum tonantium fragor! Quantus affectionum, ſe ſibi illidentium tumultus! & hoc, mundi pax, vocatur. Utinam verò Chriſtiani, eo repleamur flamine, tam ſacro igne recoquamus lingvas, ut quanquam in prolixos, & liberiores ſermones ſe laxaverint, inter nos pax in tuto ſit. Sed peſſimè cum Apoſtolico agitur nomine, ſi non à ſacro Igne capita, & lingvæ incaleſcant; ſi non ſpiritûs vehementia, ſed turbarum munera ſonitum cient.

Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat.

PAx, quam Chriſtus Diſcipulis dedit, non alia certè fuit, quàm quòd adamantina firmitate, adversùs fortuitorum incurſus, pectora muniîſſet; ità perſequentium minas, & furores, calamitatum acerbitates, ærumnarum ſibi ſuccedentium exceperunt fluctus, ut perturbatio nulla ad animum pertigerit, nihil placidiſſimæ voluntati detractum: quin imò alacritate, & gaudiô excepta ſunt acerba omnia, cum deſiderio plura tolerandi. Illo etiam die, quô Divi-

ni illapſu Spiritus beatô illô diluviô inundati fuerunt. Libuit improbis hominibus, tanquam in temulentos convitia jacere, ſed contumeliæ opprobrantium, non confuderunt animi pacem: condonata DEI causâ, tam injurioſa perſuaſio: ſupervacaneum putârunt, cum calumnioſo rumore rixari, tuti conſcientiâ, prædicationis functioni intenti. Pacem ejusmodi à mundo nemo eſt conſecutus: certè iſta non fruuntur pace, quos modiciſſimæ occaſiones triſtitiâ obruunt, angore premunt, indignatione, & furijs jactant. Utinam & nobis procellas pares non ſuſcitent, vel ſiniſtra aliorum judicia, vel ad intentionum arcana penetrans maligna interpretatio, vel in aculeum contorti acerbitas dicti. Nihil iſta Chriſtianam pacem interpellare debent, cùm ſciamus Apoſtolis pacem fuiſſe, etiam cùm impeterentur calumnijs, pellerentur ab urbibus, in minis, & occaſione gladij, in aſſuetudine contumeliarum, & verberum, tanquam in elemento proprio verſarentur, & in centro quietis. Nè his moverentur, ſatìs habuerunt præſidij, quòd à CHRISTO audîſſent: *Pacem meam do vobis, - - Non*

tur-

turbetur cor vestrum, neque formidet. Jo. 14. v. Subtraxit se à Discipulis Christus, supervenit illis princeps mundi, hic, quanto furore in innocentes collectam effudit iram, quantùm ingeniô nocendi laboravit! Cecidêre hæc machinamenta irrita, nec Apostolicam pacem commoverunt. Nobis, non principis mundi impetus extorquet pacem, sed muscæ sæpe, aut culicis importunitas. A Christóne pax ista, quæ tam facilè eripitur, venit? Vix ulli persuaserit impatiens Apostolus, receptam esse ab illo pacem Christi, si illum inquietat incidens molestia, & ab illo progreditur, ad turbandum cætum Apostolicum.

Pro eadem Dominica.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. Joan. 14. v. 29.

EX oraculo, & energia verborum Christi, efficax ad propulsandam tristitiam Apostolorum desumitur argumentum: tribus validis, & invictis rationibus probat Salvator, quòd gaudere potiùs in suo abscessu expedit Apostolis, quàm tristari. *Prima ratio:*

tio: Quia ſupponit ſe diligi à Diſcipulis, *Secunda*: Quia vadit ad Patrem. *Tertia*: Quia Pater major Chriſtô eſt. Quantùm ad intenſiſſimum affectum, quô ferebantur in Chriſtum Diſcipuli: augere hic ex natura ſua, non minuere amantium in digreſſu ſolet dolores. Quis enim filiorum, nisì degener, abeunte domô, nunquam dein redituro Patre, non illi ſe totâ viſcerum, ab ima ſede vehementiâ doloris, ad erumpendum foras, quâ patet viâ excitorum, ubi inter ſuſpiria, & lacrymas vale dictum amantiſſimo Genitori, quis, inquam, ſe, luctúſque ſuos non affundat, adſternátque pedibus abeuntis? Chriſtus tamen vim amoris erga ſe, contraria vult exprimi ſignificatione, dum Apoſtolos ad gaudia, & feſtivam exultantium in ſuo abitu provocat humanitatem: *Si diligeretis me*, inquit, *gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt*. Notatur præterea, conceſsâ flendi, lugendíque facultate Diſcipulis, manet adhuc illæſa authoritas Patris, & ardentiſſimo Apoſtolorum erga Chriſtum affectui, deeſt nihil. Si Magdalena ubertim flendo, dilexit multùm, teſtimoniô Chriſti, cur id negabitur Diſci-

Diſcipulis illius ? At minimè decet authoritatem Patris, obedientiam Filij, Apoſtolorum in amando Chriſto puritatem, eluere lachrymis, quarum eliquamine, aut pœnitentiâ utitur in emundandis peccatorum maculis, aut magiſteriô naturæ flere docta mortalium conditio, funeſtos adverſæ ſortis caſus, in geminis aquarum iſtarum gurgitibus mergit. Lenire in Diſcipulis, imò citò tollere, aut omnino impedire dolorem, vel ſola hæc obligatio, Divinâ, humanáque lege firmata poteſt: ut majori minor cedat, nè modeſtè quidem, & obiter nunc lugere fas eſt, dum Pater jubet, & Filius juſſa exequitur. Adimendum ſibi lugent Chriſtum Apoſtoli, ſed plùs eſt Filium Patri, quàm Diſcipulis Magiſtrum auferre velle. Magna lætitiæ incentiva propoſuit Chriſtus Diſcipulis, nè itineris ſcilicet, quod parabat, ominoſam facerent ſuâ mœſtitiâ celebritatem, aut turbarent ſuîs fletibûs.

Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt.

EXpendi ulterius motiva poſſunt, quæ propoſuit Chriſtus Diſcipulis, nè do-

lo-

lorem, ex illius discessu corporali à se, profundiùs admitterent in animum. Intonabat, & congruum, & necessarium esse, ut amori in Magistrum, qui multum adhuc de sensuum ruditate habebat, nec terreïtatis formam exuerat, temperarent futuri Magistri orbis, & non ad judicium oculorum, vel aurium composituri fidem, Ecclesiámq; docturi, esse Christum præsentem, etiam dũ non spectatur, nec aure percipitur. Premendus proinde, si non poterat subitò expelli, dolor erat, qui potissimùm nascebatur inde, quòd ab oculis illorum subtraheretur Christus, & auribus sermones illius, non ampliùs essent influxuri: nec mens illa urgebat illos anxietate, quasi ad Patrem reversus, Patrísque ordinationi, & mandato deditus, hôc ipsô interdictam sibi cum Discipulis unicè dilectis, consuetudinem declararet. Sed docuit persuasione sua, non inclementer tractari illos, si voluntas Patris potior Christo esset, quàm ea jucunditas, quam ex Christi consuetudine consequebantur. Cedere proinde sua privata solatia, communi bono æquum erat, & gloriæ Salvatoris, cujus possessionem, in consessu ad Patris dexteram fuit

fuit aditurus. Conquirimus ſæpè rationes, ex quibus negotia, & operationes noſtræ formam, & menſuram accipiant, nè videantur iniquæ. Sed his omnibûs potior apud nos debet eſſe, divinæ gloriæ reſpectus.

Si diligeretis me, gauderetis utiq; , quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt.

NOn id tantùm ab Apoſtolis requiſivit Chriſtus, ut illius ex mundo abitum proſequerentur lætitiâ. Sed hoc, quod principale erat, perſuadere voluit, quòd *Pater*, inquit, *major me eſt*, ſacrificium proindè aptiſſimum colendæ, & conteſtandæ dignitati, ſi hujus nutui, & placito, ſolatia quoque ſpiritualia immolentur. Paucis ea contigit ingenuitas, ut apud eos, qui pretium noſtri ſummum habent; majorem nobis aliquem agnoſcat Chriſtus, Sapientiæ, & Eccleſiæ inſtitutor, miraculorum gloriâ, toto orbe celeberrimus, non ſe tantùm minorẽ Patre ſuo fatetur, ſed urget Diſcipulos, ut minorationem ſuã geſtienti animo, & plauſu accipiant. Quanto honore Patrem ſuum colebat Chriſtus, excellentiam dignitatis illius amandæ, & æſtimandæ, ſui locô relin-

quens

quens Discipulis, cujus nomen, vel umbra, tristissimos etiam solari debet. Multi non videri quodammodo optant, perversâ tamen viâ, famam sui nominis quærunt, dum amant ubiq; vulgari, & neminem præter se majorem optant. Petenda à Deo gratia, nè nos majoribus, & dignioribus efferamus.

Pro eadem Dominica.

Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam. Joan. 14. v. 30.

PAucorum elogium est, ut in illis princeps hujus mundi nihil habeat. Nihil omnino habere in his vel maximè debet, qui se obsequio Christi addixerunt. Postquã enim amicitiam illius ejurârunt, jus omne mundo in illos deletum est. Si tamen non ex animo vetus amicitia, quæ illos alligabat principi mundi, scissa est; repetere ille jura sua quærit, & de possessione litem movet, atque se iterum habere ibi aliquid gloriatur, ubi nihil habuit. Si vanitatis amorem nondum exolevisse advertit, si ostentationis pompam, ferocem arrogantiam, projectam in rixas, & contumelias audaciam, tanquam proprietatis suæ vestigia, agnoscit, jus quidem

dem ad reditum non habet, sed ut usurpet, multa illi præstò sunt illicia: in quibus verò exitiales, & non dubiæ pestes, fixerunt domicilium; si obscœna diversatur libido, si intabescens bonis aliorum livor, cruenta, & meditatione vindictæ se pascentia odia, si avaritia, si acedia, & æternorum, ac spiritualium lucrorum fastidium: quis principi mundi objicere possit, quòd in tali domicilio nihil habeat? Habet ille multa in multis, in aliquibus habet omnia. Quid apud Tetrarchas, apud Consules, apud dominatrices mulieres, apud milites, quid apud mercatores, fateri quisque non erubescat.

Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.

Dictô, & factô luculenter ostendit Christus, quòd non habeat quidquam in eo princeps mundi. Quid enim dives in paupere, superbus in humili, iracundus in mansueto, delicijs affluens, in amatore crucis habere potest? Nè è vicino afflare ausa sunt Christum hæc contagia. Proscripsit ab illo paupertas luxum, abnegatio delicias, man-

ſuetudo iram, cæteráque naturæ rationalis dehoneſtamenta, ſanctitas Chriſti amandavit procul, nisì per injuriam, & proterviam genij rebellis, poſſet princeps mundi extendere jurisdictionem ſuam in Chriſtum. Nos ejuramus identidem cum hoc mundi principe, ſi quæ interceſſerint fœdera, identidem tamen veteris familiaritatis obliviſci non poſſumus, & dum amplecti palàm vel pudet hoſtem, vel non permittitur; imaginem illius, quam cogitatio effingit, pro ſolatio prenſamus, rudibúsque primò lineis adumbramus, quæ in hoc principe cæcus nobis commendavit amor, mox vivaciores colores addimus. Fugere nos mundum, & mundi principem jactamus, & interim in umbræ illius amplexu hæremus. Cur non potiùs informe monſtrum cum ſua imagine, veri, & meriti doloris liturâ abolemus, aut illi imaginem patientis Chriſti indimus?

Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.

IDeo princeps mundi in Chriſtum toto vitæ tempore, omnibus odijs, & perſecutio-

tionibus desæviit, quòd in Eo non habuerit quidquam, quod suum agnosceret. Ideo præcisè flagellatus, & crucifixus est Christus, quòd in Eo nihil esset, quod ad Principem mundi aliquomodo pertineret. Id maximè furorem accendit Principis hujus, id furori, & odijs novas subjecit faces, quòd nè semel Christum, aut in curru aurato vectum, aut gestatoriæ sellæ inclusum viderit, sed in omnibus sibi contrarium animadvertit. Hæc fuit occasio parandæ Christo crucis; neque nobis certius documentum erit, nos mundo, & mundi principi odiô esse, quàm si nobis crucem paraverit. Sed per nos licet, ut non impune mundo suum in nos odium sit. Homines quidem odisse, etiam inimicos, Christus vetuit; fas tamen per leges Ejus est, odisse mundum, imò crucifigere eundem, docente, & hortante Apostolo, cui crucifixus mundus fuit. Petamus à DEO gratiam, ut omni a Spiritu Sancto habente in nobis, principi mundi restet habere nihil.

Pro eadem Dominica.

Paraclitus Spiritus Sanctus. - - Ille vos docebit omnia. Joan. c. 14. v. 26.

CIrcumducam thema hoc per aliquot reflexiones, promiſſioni Chriſti conſentaneas, de Paraclito Spiritu Sancto, ad obeundas in docendo vices Chriſti, cum plenaria poteſtate docendi, ſacro Pentecoſtes die venturi.

I.

NOn immeritò Spiritus docens omnia, Paraclitus vocatur. Licèt enim Doctor profiteatur omnem ſcientiam, non tamen docere poterit omnem veritatem, ſed aliquam tantùm, nisì fuerit Paraclitus. Baccalaurei circumſcriptæ facultatis Doctores tantùm, non Paracliti: etiamſi laurea doctorali fuerint redimiti, & annulô exornati, multa ſcient propter ſe, ſed longè plura ignorabunt pro alijs. Sapientiſſimus licèt fuerit magiſter, & in omni literatura verſatus, omnis eruditionis, & idiomatis, artiúmque liberalium compos, ſi noluerit, aut neſciverit eſſe Paraclitus, doctrina illius

aut

aut nullum profectum, aut cum profectu afferet tædium diſcentibus.

II.

PUlchro, & indiſſolubili fœdere conſolationes Paracliti, copulantur ſapientiæ Spiritûs omnia docentis. Sicut enim omnis Spiritus ſancti conſolatio docet, ità quælibet eruditio Illius conſolatur diſcentes. Nec poteſt in Diſcipulis Spiritus Sancti deſiderari Sapientia, quia omnia docet, neque deeſſe conſolatio, quia Paraclitus eſt.

III.

NOn id ſolùm contentos facit Diſcipulos Spiritûs Sancti, quòd conſolatione, & ſcientiâ illius docentur, ſed illud etiã eos erudit, & delectat, quod Paraclitus Spiritus non docet. Nemo docetur à Spiritu Sancto duobus Dominis, Deo, & mammonæ ſervire, viam anguſtam, quæ ducit ad cœlum dilatare, diem in noctem vertere: hæc tamen neſcire magna eruditio, & conſolatio neſcientis eſt: qui non aliunde, nisì à Spiritu Sancto, magnô ſuô ſolatiô didicit neſcienda neſcire.

IV.

MUlta, quæ ædificavit, diruere docuit Sapientia Spiritus Sancti, & diruta pergama in solatium habitantibus convertit. Referunt aliqui injectam fuisse à DEO magnam necessitatem ventis, qui Babilonicæ turris altitudinem, à summo diruere cœperunt: in eum modum eô ipsô momentô, quô factus est repente de cœlo sonus, tanquam Spiritus vehementis. O! quot eversa sunt superbiæ hujus mundi fastigia! quæ, quicunque aut post ruinam non reædificavit, aut nunquam antea struxit, non ab ullo alio didicit, nisì à Spiritu Sancto, docente ignorantiam archetypi Babilonici.

V.

UT primùm per Evangelij præcones, innotuit mundo irrevocabile edicti hujus sancitum; *Paraclitus Spiritus Sanctus, - - Ille vos docebit omnia*: non pauci Psevdo-discipuli Spiritûs Divini, scandalizati sunt in verbo isto; non illis placet methodus docendi, complectens sinè exceptione omnia: libenter haberent, nè Paraclitus Spiritus doceret omnia, sed aliqua, ídque ea tantùm, quæ

quæ diſcipuli capacitati ſuæ, & talentis indicarent magìs congrua. Vellent, nè ex tractatu Decalogi doceret Spiritus Paraclitus, non mœchaberis; ex materia de quatuor virtutibus cardinalibus, prudentiam nonnisì, & fortitudinem accuratè tractari. Juſtitiâ, & temperantiâ eliminatâ optarent: domus illis, quàm elegantiſſimè ædificavit ſapientia, & menſa, quam poſuit, placet, ſed vinum, temperatum aquâ, non ſapit diſcipulis. Nullus ex præceptoribus miſerior eô, qui diſcipulorum ſuorum diſcipulus eſt, ut non poſſit, quod vult, aut debet docere, ſed quod mallent diſcipuli. Aliqui à Divino Paraclito plus de conſolatione, minus de ſcientia audire cupiunt: alij erudiri ità ambiunt, ut id totum ſciant, quòd ſciri à Spiritu Paraclito non dubitant. Illi tamen ſunt ex diſcipulis Paracliti Spiritus intractabiliores diſcipuli, qui ſtulta temeritate experiri id ipſum volunt, quod olim conceſſum erat Apoſtolis, ut palparent redivivum Magiſtri ſui corpus, cujus contrectatione demonſtrabat ſe non eſſe Spiritum, qui carnem, & oſſa non habet. Ità & hi, antequam ſe Paraclito

raclito inſtituendos tradant, palpando probare volunt; num aliquid, ſi non ex obeſa carne, & præduris oſſibus, ſaltèm ex delicatiore caruncula, & cartilaginibus præferat, incorporei enim præceptoris magiſterium horrent ſupra modum, eíque ſe ſubdere nulla ratione patiuntur. Quàm primùm id de ſe in præfatione docendorum Paraclitus enuntiaverit, quòd carnem, & oſſa non habeat; continuò diſparent diſcipuli, nihil habentes, quod ſpiritualis natura poſſit appetere. Non apud illos procedit ab animo doctrina, ſed à ſenſibus, & ipſa ratio, caro fit, & caro vicem rationis explet, quia docet, non docetur. O! caro carnalibus ebria cogitationibus! Rabini requirebant, ut in unoquoq; diſcipulorum ſuorum hæc tria invenirentur, Oculus bonus, Spiritus contritus, anima humilis. Hæc eſt vera, Diviniſſimi Spiritus, ſimplicitate oculi, & contritione cordis ad percipiendas omnes difficultates expedita diſcipula, coram qua nihil Paraclitus Spiritus occultat, quidquid ex Biblijs, aut Theologis audîerit, promptè penetrat. Platonis, & Peripateticorum com-

commentis inimica, non sermone tantùm, sed vitâ, prudentiâ, & moribus erudita. Animam talem quisquis sortitus est, discipulum se Paraclitus Spiritus laureatum sciat. Appono Divi Hieronymi in illud Apostoli: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: Ad Gal. 5. v. 16.* pro coronide Epiphonema: *Caro terra: anima aurum: Spiritus ignis vocetur. Quàm diu aurum fuerit in terra, perdit vocabulum suum, & à terra, cui commistum est, appellatur. Cùm verò separatum ab humo, auri, & speciem, & nomen acceperit, aurum quidem dicitur, sed necdum probatum. Si autem per ignem excoctum fuerit, & purgatum, tunc auri splendorem, & ornatus sui accipit dignitatem. Ità & anima inter humum, & ignem, hoc est: inter carnem, Spiritúmque consistens, quando se tradiderit carni, caro dicitur; quando Spiritui, Spiritus appellatur. Quòd si proprio crediderit cogitatui, absque gratia Spiritûs Sancti invenire se æstimaverit veritatem, quasi aurum sordidum animalis hominis appellatione signatur.* Evacuemus nos Spiritu nostro, ut anima nostra aurum proprobatum, & igne SpiritusSancti excoctum, &

& purgatum fieri edocta, splendorem, & ornatum auri accipiat. Invocemus septiformem Spiritûs Sancti gratiam, ut per timorem DEI, humiles: per pietatis studium, misericordes: per scientiam, discreti: per mentis fortitudinem, liberi: per consilium, cauti: per intellectum, providi: per sapientiam maturi efficiamur. Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuæ radium! Sanctum semper opus in me spira, ut cogitem: compelle, ut faciam: suade, ut intelligam: confirma me, ut teneam: custodi me, nè perdam.



